PROSPERITATIS GERMANIÆ PARS PRIMA.

In quâ de Vini, Frumenti, & Ligni concentratione, eorundemque utiliore, quàm hactenus, uſu agitur:

In Dei ac Patriæ honorem, omniumque piorum Patrum-familiâs doctrinam & admonitionem bono & ſyncero animo Germanicè in lucem edita

à

JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO,

Et à Philochymico quodam Latinitate donata.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.
M.DC.LVI.
Cum Privilegio.

Digitized by Google

Omnibus Deum amore proſequentibus, & Patriæ faventibus

PATRONIS
Salutem.

Pii, Prudentes, & Patriæ amantes Patroni.

DEUS OPT. MAX. *Pater noſter Clementiſſimus & Benigniſſimus pro magno ſuo ergà nos amore & curâ paternâ, ab æterno nobis Naturam ob oculos poſuit, ut voluntatem ſuam nobis ſignificet: Quæ Natura nihil aliud eſt, quam propria, æterna & unica Dei voluntas. Huic Naturæ tanquam inſtrumento ſuo obedienti, & fideli voluntatem & mandatum ſuum fideliter & diligenter effectui dandum Deus commendavit, & abſolutè tradidit: Quæ ſine intermiſſione mandato labore & munere fungitur, imò ne momentum quidem in voluntate divina contentione & ſtudio ſummo facienda quieſcit. Vnde jure ac meritò omnium rerum Creatorem, cognoſcere, revereri, & amare ante omnia nobis diſcendum eſſet, cum ex creaturis Creator cognoſcatur.*

Si creaturæ magnæ, & oculis noſtris imperceptibiles & admirandæ ſunt, Creatorem profectò longè majorem, & omni intellectu humano ſuperiorem eſſe neceſſario ſequitur, quod unuſquiſque facilè intelligere poteſt. Clarè igitur & evidenter nobis conſtat, quod Deus omnia, ut homini inſerviant, creaverit, quò benignitatem divinam tantum agnoſcat, omnium bonorum Creatorem & largitorem in honore habeat, timeat, & ei pro donis ſuis debitas grates perſolvat. Quod tamen à paucis, proh dolor, obſervatur, cum maxima hominum pars, beſtiarum, more, temerè & ſine agnitione, ac grati animi memoriâ aliquâ in diem vivat, ac tanta Divinæ largitatis munera inutili profuſione conſumat. Sed hoc non ſolum Divinæ voluntati & mandato, ac toti Naturæ curſui, ſed etiam omnium piorum & prudentum hominum doctrinæ & admonitionibus ex diametro contrarium jure tolerandum ac ferendum non eſſet. Quoniam igitur fieri poſſet, ut juſtiſſimus Deus tandem aliquando perfidâ hominum malitiâ excitatus impiiſſimam hujus mundi perverſi vitam annonæ difficultate, bello, &

peſte

peſte vindicaturus, & parvus piorum cœtũ inter impiam hominum turbam latitans ejuſdem pœnæ particeps futurus ſit; In Dei & Patriæ meæ honorem, & piorum incolarum conſolationem, & ſolatium mihi à Deo concreditum talentum, cujus adminiculo plurimæ calamitates futuræ, annonæ nimirum caritas, bellum, & peſtis præveniri poſſent, lubenti animo in lucem producere conſultum mihi viſum eſt. Hoc autem, quo Patriæ meæ inſervire mihi propoſui, conſiſtit præcipuè in manifeſtatione & revelatione maximorum in Germaniâ latitantium theſaurorum, quos agnoſcere, quærere, & eruere hominum incuria neglexit: Ii quo pacto in Patria commodum quærendi, & probè collocandi ſint, præſenti tractatu fideliter manifeſtare conatus ſum, & aperire ſtatui Nobilis Germaniæ theſauros, quibus præ aliis Europæ regionibus abundantiſſimè locupletata, & hactenus quidem, vino puta frumento, lignis, mineralibus & metallis, ſed non eo modo, quo par fuiſſet, & eſſe debuiſſet, uſa & fruita eſt. Nam opulentiſſimam Dei benedictionem, quæ vinum & frumentum affatim largita eſt, ingrati ho-

mines inutiliter admodum profuderunt, & reliquias ſitu corrumpi ac perire paſſi ſunt: Nemine vel minima cogitatione in id incumbente, quâ ratione tanta tantorum donorum abundantia in futuros annos annonæ caritate in extremam difficultatem prolapſuros conſervanda & cuſtodienda eſſet: Vnicuique enim de ſe & ſuis tantum ſollicito donorum ſuorum copia ſufficiebat, & ipſe alii ſuam propriam curam relinquebat, ut de neceſſariis, unde viveret, ſibi ipſi in futurum proſpiceret: Ita factum eſt, ut, quod de prolixâ benedictione divinâ ſupereſſet, ex incuriâ projectum peſſum iverit, & nihil in futurum conſervatum ſit: Cum tamen ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus multis millibus hominum panem præbens, reſiduas micas, ne quid omninò periret, probè cuſtodire diſcipulis ſuis mandaverit: quod proculdubio nullo fine alio fecit, quàm ut nos dona Dei in honore habere doceret. Sed ubi invenientur, qui hoc imitentur, & faciant? Nullibi profectò; quod neque coràm Deo, neque hominibus piis excuſari poterit. Nobis certè non committendum eſſet, ut tanta divinorum donorum largitio

tàm

tàm miſere periret, ſed potius allaborandum eſſet, ut formicarum laborioſarum inſtar omnem illam ſuperfluitatem, quâ nobis frui non licet, ſedulò reponeremus, & cuſtodiremus. Conſideretur, quaſo, in quantos acervos cumulatum frumentum jaceat, & corrumpatur. Annon idem vino contigit, quod nimium abundanter collectum jam vile & abjectum eſt? Num ex ſola hac copia, quæ jam peſſum it, magni theſauri in futuros calamitoſos annos colligi non poſſent?

Quamvis verò hactenus id non factum ſit, confide tamen bonos patres-familias repertum iri, qui meam admonitionem & doctrinam haud ſuſque deque habentes, & vini & frumenti ſuperfluitatem tantam condenſantes in futurorum annorum caritatem conſervaturi ſint. Nullus etiam dubito quin alii, poſtquam libelli hujus beneficio modum didicerint, ſuperflua & abjecta ligna, quæ ſitu & putredine in nihilum rediguntur, ingenti copiâ in Salempetræ mutabunt, ut ejuſdem adminiculo hoſtibus reſiſti, & incolæ defendi queant. In ſequuturis autem tribus partibus de metallo-

tallorum & mineralium concentratione acturis, ubi omnis generis medicamenta naturalibus morbis reſiſtentia docebuntur, unumquemque contra futuram peſtem, & contagioſos morbos ſolatium & auxilium reperturum eſſe ſcio. Vbi ergo nobis cibus & potus ad vivendum neceſſarii, & Sal nitri ad defenſionem contra hoſtes, & medicamenta tuendæ ſanitati inſervientia nobis ſuppetierint, nihil præterea, quod deſideremus, reſtat, præter aliquantum auri & argenti, quo negotiationem exerceamus, & de exoticis mercibus nobis proſpiciamus. Quod ut ex noſtris ubiq; montes occupantibus & abjectis metalli fodinis conſequamur in ſequuturis tribus de mineralium & metallorum concentratione libellis, Deo dante, me effectui daturum confido. Eâ de causâ etiam hunc libellum de rerum Concentratione (tanquam talentum mihi à Deo concreditum) non diutius mihi ſervare ſed in Dei & Patriæ honorem in lucem edere volui.

Eum itaque omnibus piis, fidelibus & bonis Patriæ Patribusfamiliâs do, dico, & conſecro, ea ſpe fretus, admonitionem & inſtitutionem meam ſinceram locum inventu-

ram eſſe, & in ſequiorem partem non acceptum iri. Tres autem promiſſæ partes, ſi Deo viſum fuerit, propediem ſequentur. Porrò unicuique in dicta vini, frumenti, lignorum, mineralium & metallorum (ſiquidem omnia in promptu habens concentrandi modum negotio facili oſtendere poſſum) concentratione aperienda & revelanda operam meam fideliſſimam offero. Et cum ignarus ſim, quamdiu vitæ & lucis hujus uſuram Deus clementiſſimus mihi conceſſurus ſit, haud libenter tàm nobilem, tam inſignem, & patriæ tàm utilem ſcientiam mecum in ſepulchrum traherem: Si tamen uſu veniret, ut ejus deſiderio pauci, aut nulli tenerentur, rerum mearum ſategi, & conſcientiæ ſatisfeci: Quanquam nullum mihi dubium eſt, aliquot ſaltem fore Patresfamilias bonos & fideles, quibus utiles hæ inventiones, ut in Dei honorem, & Regionum ac incolarum conſervationem effectui dentur, curæ futuræ ſint. Certo ſcio, ſi Conſilium hoc de vini, frumenti, lignorum, & mineralium concentratione ex ſimplici & ſincero animo profectum aliquem locum invenerit, laude digniſſimam noſtram Germaniam

paucorum annorum intervallo felicitate proſperrima emerſuram eſſe, & tantis divitiis locupletatum iri, ut ſummi & imi gaudio ſummo affecti Deum laudibus celebraturi, & ipſi gratias acturi ſint.

Cæterum facili conjectura aſſequi poſſum, variis & diverſis judiciis hunc ingenii mei partum expoſitum eſſe. Vnus iis, quæ dixi, fidem adhibebit; alius vero, ut impoſſibilia, & mera ſomnia culpabit, & repudiabit. Veritas tamen ipſa tandem emerget, opuſque ipſum magiſtro ſuo laudem debitam conciliabit, in quo etiam acquieſco. Deus Opt. Max. benigniſſimus noſter Pater, Oeconomus & Paterfamilias nobis benedictionem ſuam divinam largiatur, ut hanc vini, frumenti, lignorum & mineralium concentrationem in plurimis Patriæ noſtræ chariſſimæ locis inſtituamus, & ejus adjumento theſauros, quibus in futurum vitam noſtram ſuſtentemus, & inimicis noſtris reſiſtamus, in Dei honorem, & plurimorum egenorum opem & auxilium conſequamur. Amen.

GER-

Digitized by Google



GERMANIÆ PROSPERITAS.

PRÆFATIO.

SI veterum proverbia, ut ſalutares doctrinæ, accipienda, nec hoc certè haud ex minimis rejiciendum, dicens: Quod audire quis non vult, illud poſtea ſentiat, oportet. Senſus eſt: Si quis monitus admonitionem ſusque deque habeat, & damno afficiatur, notatur ab unoquoque in hæc verba erumpente: merità & debita mercede affectus eſt, cur admonitioni fideli non paruit; quis ipſi iam opem feret? Vſu venit hoc plurimis, qui ſecuram & à curis vacuam vitam degentes, quod antè pedes modo eſt, vident, & de iis quæ futura ſunt, non laborant, donec malo ſubito correpti & oppreſſi nimis ſerò conſiliis ſalutaribus eidem mederi conantur. Nemo autem tàm imperitus aut ineptus eſt, qui non videat, in quàm periculoſo ſæculo hodie verſemur, non perpendentes doctrinam veterum dicentium, & docentium: Non eſſe viri ſapientis committere, ut rebus ſuis dilapſis ipſi dicendum ſit, Non putaram: quod tamen hodierno tempore, proh dolor, creberrimè accidit, & ex nimia

ſecuritate quam plurimos decipiente proficiſcitur. Cum igitur ſemper & ubique, prudentia ab unoquoque intellectu prædito in magno pretio habita, & ut viris conveniens virtus, laudata; Securitas verò ut leve mulierum facinus culpata fuerit, cur felicem prudentiam, & providentiam ſecuritati infelici non anteferremus? Formicas exemplo nobis vult eſſe ſapiens, ut nos diſcamus imitari eas, quæ æſtivis menſibus laborando & congerendo ſibi de alimentis hyberno tempore neceſſariis proſpiciunt. Idem faciunt apiculæ, & pleræque aliæ beſtiæ, imò muſculi ipſi, quibus omnibus alimenta hyberna tantæ curæ ſunt, ut æſtivo tempore reſiduâ in campo frugum, & fructuum copiâ, quæ aliâs ibi relicta periret, convectâ cavos & cavernulas ſuas diſtendant. Sed nos homines ſumus adeò ignavi & negligentes, ut beſtiolæ ipſæ nos in ruborem & pudorem conjicere & dicere poſſent; Vos imprudentes & deſides homines, Rei familiaris adminiſtrationem à nobis, parvulis licet, diſcere ne erubeſcatis. Sed ſuperbia caſus ſequioris & infelicioris anteambulo neutiquam permittit, ut major in diſcendo minore magiſtro utatur. Nihilominus tamen in Dei, Magiſtratus, & patriæ noſtræ honorem, ac proximi mei emolumentum bona admonitione, utilique indicio conatus ſum oſtendere, quo pacto his temporibus adhuc proſperis, quibus frumentum, vinum,

vinum, aliaque in totâ noſtrâ Germaniâ copiosè abundant, res eò deducenda ſit, ut ejuſmodi copia non inutiliter pereat, ſed ad Joſephi œconomi illius in ſacris literis celeberrimi imitationem, annonæ caritatem proximis annis futuram ſublevandi cauſa, conſervetur.

Quis non credit, quod poſt hominum memoriam frumenti & vini affluentia ullo tempore quàm hoc major & copioſior fuerit? Annon optimi frumenti tres medimni plurimis in locis uno tantum imperiali veneunt, & paſſim vinum tàm vilis eſt pretii, ut hoc in cellis, illud vero in granariis corrumpatur? Num hujus temporis ratio habenda, & illud conſiderandum non eſſet, quod res quantò viliores, tantò magis conſervandæ ſint? Haud pauci tamen dicunt; Vbinam adeo copioſum proventum reponemus? Granaria & cellæ noſtræ adeo diſtenduntur, ut nihil amplius capiant & ſi plura reponere vellemus, in quem finem illud faceremus? quando illud vendere iterum poſſemus? Cum unuſquiſque, tàm largâ harum rerum abundantiâ ipſe jam fruatur, ſitu tantum corrumperetur: Ideo ſatius eſt, ut harum rerum corruptarum alius, quàm ego ipſe jacturam faciam, Frequens hominibus talis eſt ſermo: Imo tam profligatæ impietatis nonnulli reperiuntur, cum nummos ex terræ fructibus conflare nequeunt, ut fulminis tactum, aut ignis incendium iis imprecentur.

Num

Num talia Deo placere poſſunt? Num infrequenter evenire ſolet, ut ingentem rei alicujus copiam inopia maxima mox à tergo ſequetur. Idem & nobis brevi temporis ſpacio accidere non poſſe quis ſponſor erit? Æquiſſimum igitur eſt, ut tam opulenta Creatoris noſtri benigni dona tam inutiliter corrumpi non patiamur, ſed probe conſervemus, & tueamur, Niſi hoc fecerimus, Deus faciet, quod nobis non gaudium ſed mœrorem afferet.

Ut autem, quoad ejus fieri poterit, præcaveatur, ne frumentum & vinum ſitu pereant, ſed in futuram annonæ caritatem cuſtodiantur, hunc de Vegetabilium, Animalium, mineralium & metallorum concentratione, in quâ Germaniæ totius proſperitas, & felicitas, ac totius mundi univerſalis theſaurus & opulentia ſita ſunt, libellum, in cujuſque conſpectum produxi, & perfecte manifeſtavi. Quænam enim Europæ, imo totius mundi regio æque ac Germania vini, frumenti, mineralium, & metallorum majore & copioſiore benedictione à Deo donata eſt? Quoniam vero tàm prolixa harum rerum omnium opulentia nauſeam & faſtidium parit, ejuſmodi mineralium, metallorum, vini & frumenti, quibus cæteris Europæ Regionibus Germania antecellit, largitatem in anguſtias conſtringere, & à negligentiæ ac contemptus damno & interitu vindicare operæ prætium duxi. Quando enim res tam

tam viles in anguſtum coguntur, viliore & inutiliore parte recedente, nobilior & melior coarctata colligitur, ac non tam facile in corruptionem abit, ut antea, cum bonum malo adhuc commixtum erat. Et hoc æquè de mineralibus & metallis, ac vino, frumento & ligno intelligendũ eſt. Nam ubi aqua à vino & cereviſia ſeparata, & nobiliores partes quaſi in centrum quoddam contractæ fuerint, incorruptas has conſervabis, quamdiu volueris. Ubi autem vino aut cereviſia opus fuerit, coarctatæ partes aqua addita laxari, & amplificari poſſunt, adeo ut ſex vini dolia uno ſolo conſervari queant,& hoc unum ſpatii tantum,quantum illa ſex, non requirat, tot ſumptibus non religetur, & tantum vini exhalando non conſumat, quantum ſex illa vaſa vinaria, quæ ſemper replenda ſunt. Accedit & inſigne hoc emolumentum, quod ex coarctatis ejuſmodi ſuccis, ſi in promptu fuerint, quovis autumno inſtante, quatuor, ſex, octo aut pluribus ſeptimanis citius nova vina confici, & majore pretio vendi poſſint, quam ipſo tempore autumnali, quando uvæ maturuerunt, & unicuique vinum novum ſuppetit.

NB. Sed ad opus tale requiriturinſtrumentum quoddam peculiare, & artificioſum, cujus beneficio muſta juvantur, ut celeriter ferveant. ſunt porro alia quoque commoda, quæ ab his muſtis ita quaſi in centrum redactis profecta

hic

hic brevitati ſtudentes omittimus. Cereviſia eodem pacto coarctata plures quoque utilitates affert. Frumento enim, cui condendo antea vix octo dolia ſufficiebant, uno hîc opus eſt, quod vaſi cereviſiario inditum in viva animalcula non redigetur, nec ex horreo evolabit, ſed poſt decem, aut viginti annos, depromptum ad uſum adhiberi poteſt. Cereviſiæ tales artificioſæ & factitiæ cum in condenſatione diutius coquantur, longè meliores ſunt vulgaribus illis, quæ ex frumento toſto aut frixo conficiuntur. Quicunque igitur annona vileſcente frumentum coëmptum artificioſis ejuſmodi coarctationibus condenſat, & ſeponit, donec annonæ difficultas oriatur, grande ſibi lucrum apportans, non ſolum honeſtum, ac aliis nullum damnum inferens commodum acquiret, verum etiam charitatis & miſericordiæ ſtudioſus de proximo ſuo optimè merebitur, ſi in extrema neceſſitate conſtituto opem tulerit, & pro empto frumento pecuniam numeraverit, quâ familiam ſuſtentare, & de quæſtu aliquo ſibi proſpicere queat.

Ita hâc cereviſiæ ac vini condenſatione & concentratione nemini damnum infertur, ſed tam emptori quàm venditori lucrum paritur, quod jure ac merito cujuscunque conditionis hominibus cordi eſſe deberet. Benè facerent magnates, principes, Reges, Cæſares, aliique magiſtratus & reſpublicæ, ſi de condenſatis ejuſ-

ejuſmodi liquoribus & ſuccis promptuariis ſuis, & cæteris annonam militarem recipientibus ædificiis proſpicerent, ut pauperes annonæ difficultatem advehente tempore, copiæ iſtius participes reddere poſſent, nullum detrimentum accepturi, ſed potius emolumentum haud contemnendum percepturi.

Ligni autem condenſatio, ac in ſalempetræ ſeu nitrum mutatio longè majorem quàm illa vini aut cereviſiæ, fructum affert, cum lignum ferè gratis haberi, & exiguis admodum ſumptibus in nitrum mutari queat; quod ſine damno in armamentariis, cum corrumpi non ſoleat, facilè ac tamdiu cuſtodietur, ac conſervabitur, uſquedum neceſſitatis tempore cum carbonibus & ſulphure etiam non corruptibilibus in pulverem pyrium convertatur, adeò ut planè non ſit neceſſarium, imò maximè noxium, ut tanta pulveris pyrii copia in armamentariis, & locis munitis cuſtodiatur. In promptu ſunt exempla ſatis multa turrium pulverem pyrium cuſtodientium, quæ aut negligentiâ, aut à fulmine accenſæ civitates cum plurimis hominibus momento citius everterunt, & occiderunt. Incommodum tantum prævenitur unico hoc remedio, ſi nempè non ipſenitratus pulvis, ſed tantum ejuſdem materia, nitrum videlicet, ſulphur, & carbones in promptu habeantur, & cuſtodiantur, ita ut

B neceſ-

neceſſitate poſtulante ex iis ipſe pulvis paretur. Porrò & hac de cauſa etiam ligni concentratio dicta, vini, & cereviſiæ condenſationem utilitate ſua antecedit: quod non ſolum ubique in Germania mineralium quæ fixum, & corporale aurum non continentia nihili fiunt, acervi magni jacentes, ut melior quædam pars eximatur nitri beneficio figi, ſed etiam minora metalla, ſulphure eorum ſuperfluo combuſto, in meliora mutari, & metalla perfecta, aurum puta & argentum ejusdem auxilio deſtrui, ac in meliorem partem (quâ de re ſequuturæ partes ſecunda, tertia & quarta agent) cogi poſſunt. Quare ligni in ſalempetræ, aut Tartarum quorum utrumque non modò grandi copia vendi, ſed etiam ad varios uſus adhiberi ſolet, mutatio nobili Germaniæ patriæ noſtræ, in qua ubique incredibilis lignorum, quæ ferè gratis haberi poſſunt, affluentia, maximum potentiæ & virium non modo contra futuros, ſed etiam præſentes hoſtes incrementum adjicere poterit.

Quicunque, igitur ligno abundaverit, multis etiam divitiis locupletabitur, ſi modo manum operi admovere voluerit, neutiquam veritus, ſalempetræ rem fore nullo prætio dignam aut non vendibilem: & ſi hoc eſſet, tamen in explicatione miraculi mundi jam in lucem emiſsâ, tantum palàm feci, & in ſequuturis tribus hujus libri partibus tantum manifeſtabo, quantum

tum ad hujus ſalis uſum attinet, ut nunquam defuturi ſint, qui in horum ſecretorum cognitionem penetrantes, ejus uſum probè callebunt.

Qui oculos habet, videat, & iis utatur; ſiquidem tempus appropinquat, imo ſenſim accedit, quo cognitio utilis, & bene cum illis comparatum erit, qui rerum utilium cognitione imbuti fuerint. Satius profectò eſt ſcire, quam bona ingentia, quæ nemo ſecum aſportare, aut quibus nemo ſibi & ſuis opem ferre poteſt, poſſidere: Beatus ille cui cum Philoſopho dicere licet, omnia mea mecum porto. Quanta injuria afficitur benignus ille Deus ab iis, qui eum accuſant, quod vinum, frumenti copiam, mala citrea, & aurea inviderit regionibus nonnullis, in quibus æquè grandes theſauri invenirentur, ſi incolarum oculi non caligarent. Si nihil aliud, certè lignum reperitur, quod ſine ullo divitum aut pauperum labore, ſumptibus, & moleſtiâ ſponte dies ac noctes creſcendo ſe illis offert, & eoſdem his quaſi verbis alloquitur: Annon debito officio fungor? annon in conſpectum tuum prodeo, ut benignitatis divinæ cognoſcendæ cauſa me contempteris, & cum gratiarum actione uſurpes. Non eſt igitur, cur una regio alteri ſe præponat, quod melior ſit, aut contra queratur, quod minorem ejus rationem benedictio divina habuerit. Vnaquæque, ſatis ha-

bet, ſi modo, eo quod habet contenta eſſe velit. Illæ ipſæ regiones quæ lignis deſtituuntur nihilominus divina benedictione affatim fruuntur. Exemplo eſt Iſlandia & cæteræ Boream frigidum inſpectantes regiones, quibus frumentum, & cætera vitæ neceſſaria ex aliis regionibus advehenda ſunt. E contrario ipſæ aſellum arefactum vendunt, atque ita, arboribus & frutetis, frumento, & vino licet carentes, tamen penuriâ non laborant, & æquè cum cæteris à divina benedictione nutriuntur. Si lignum ipſis deeſt, carbones foſſiles tamen ipſis ſuppetunt. Ibi enim terra admodum ſulphurea eſt, ac apud montem Heklam perpetuis ignibus inflammatum, & ignem, fumum ac cineres ejaculantem incolis magnam ſulphuris vim ſuppeditat, quod hi eruentes ſui ſuſtentandi gratia noſtratibus nautis & negotiatoribus vendunt.

Mihi hic quis objicere poſſet, cum ſalpetræ ſubjectum univerſale cenſeatur, & in omnibus rebus reperiatur, neceſſarium omnino eſſe, cum Iſlandia ligno penitus careat, ut & in aſellis ſalpetræ inveniatur. Alias enim, Salem hunc univerſalem non eſſe, dicendum eſſet, utpote qui in una aut alia regione inveniri nequeat. Hunc ut dubio ſuo expediam, nitrum etiam in piſcibus, ut ſupra modo dictum, non tamen tàm copioſè quam in aliis ſubjectis, ligno videlicet vino & frumento ineſſe: In ſaxis contrà longè copioſius & potentius inveniri affirmo,

affirmo, quibus cum regiones iſtæ repletæ ſint, quantas divitias ſuppeditaturæ eſſent iis, qui id eruendi cognitionem haberent, facilè quis conjiciet. Nam in lapidibus, qui combuſtione in calcem vertuntur, (quod & ſine ligno ceſpitibus tantum exſiccatis, aut carbonibus foſſilibus facilè quis effectui dederit) æquè abundanter ac in ligno, aliiſque vegetabilibus nitrum ſe occuluit, & præter modi illud eruendi cognitionem nihil aliud deſideratur.

Si aſpera & fera ejuſmodi regio, in qua nihil naſcitur, cum alia fertiliſſima, ſimul lanci philoſophicæ imponeretur, illa tantos theſauros lapidibus & terra ſua occultans hanc facili negotio ſuperaret, & primas conſequeretur. Ideò non eſt cur aliquis coràm Deo conqueratur: parvus celeritate ſua grandis & proceri tarditatem vincit: Debilis fortioris viribus ingenii acumen opponit: Pauper quiete fruitur, & patienter caſus ſuos duriores tolerat: Opulentus contra curis maceratur; quod & de cæteris animantibus etiam ita intelligendum eſt. Probè hæc unuſquiſque conſiderando intelliget, & animadvertat, quod ubique Deus unicuique ſatisfecerit & nulla creatura ſit, quæ juſtam querelam inſtituere poſſit.

De Peruviæ Americæ regione fertur, ditatam eſſe argenti ditiſſimo monte Potoſi, in ejuſdem regionis tractu ſito, qui quinquaginta milliaria Germanica ambitu complectens aëre

ſuo admodum frigido, quibuſvis vegetabilibus omnem naſcendi occaſionem denegat, & tamen tantam divitiis iſtius montis celebritatem, & potentiam tantam acquiſivit, ut civitas ibi condita optimo vino, frumento, ſaccharo aliiſque ejuſmodi rebus neceſſariis abundet, ac magnitudine, ædificiorumque ſtructurâ vix ulli totius Germaniæ civitati cedat, ſoli autem monti dicto hanc felicitatem acceptam fert. Hinc patet, non omnia inutilia eſſe, quæ externæ ſpeciei ſplendore non inſigni cognitionem alicujus fugiunt. Quandoque ruſticus vaccam petit lapide, qui prætio vaccam longe ſuperans, tamen contemnitur, quia homini ignotus eſt.

Non ſemper ergo rei alicujus externa & ſuperficialis figura ſpectanda, ſed etiam intima quæque ejus rimanda & perſpicienda ſunt: quò ut perveniamus, Alchimia tanquam veræ Philoſophiæ excolendæ inſtrumentum, nobis viam ſternit, & januam aperit, quò intima cujuſque rei penetralia perveſtigare queamus. Qui ignem, ejusque uſum probè novit, penuria non laborabit. Qui ejuſdem nulla cognitione imbutus eſt, non multa oblitus, etiam naturæ theſauros non perveſtigabit.

Ex his apparet, quantos theſauros inſcii nos Germani poſſideamus, & tamen in uſum noſtrum non convertamus, cujus res, niſi exteri juxta nobiſcum ignari hactenus eſſent, nobis Ger-

Germanis facile exprobrarent, quod commeſſationibus, compotationibus & otio plus temporis, quàm bonis artibus, & ſcientiis impendamus. Cum verò apud omnes nationes virtutis ſtudium, ac boni mores decreſcant, & vitiorum amor, maliquе mores accreſcant, non eſt quod una alterius aures aſininas detegat, ac in conſpectum producat.

Equidem ſcio, ex imperitorum aſinorum grege haud paucos inventum iri, qui ruditu, riſu inquam, ſuo ſermonem meum excepturi proculdubio tales inter ſe garritus miſcebunt & dicent. En fratres, quid Glauberus ſcribat. Succos ex lignis & lapidibus exprimet, & in ſalempetræ mutabit: quid vobis hac de re videtur? annon ſatius eſt, ut potando aut alea ludendo nos recreemus, quam harum nugarum lectione tempus teramus; mihi nugæ, quas effutit, veriſimiles fieri non poſſunt. Sed cæteri, qui ex eadem Threïcia aſmyſtide ſapientiam ſuam hauſerunt, nec prioribus ſapientiores ſunt, majori ſtultorum acervo aſſenſum ſuum præbere coguntur.

Quàm varia ac diverſa homines tales judicia de tractatu meo Miraculum mundi nominato ſparſerunt? Cum autem jam articulatim cuncta expoſita ac demonſtrata ſint, Theoninos ſuos dentes retrahunt, & turpiter ſedantes pudore ſuffunduntur, quod tàm falſis ac ſiniſtris judiciis apud magnates famam meam hone-

honeſtam contaminarint: quod huic quoque opuſculo evenire forſan poſſet. Quæ autem de vini, frumenti, & lignorum concentratione & condenſatione literis mandavi, eorum veritatem melius adſtruere, & confirmare non potero, quàm ſi eandem in conſpectum oculorum producam, ut, ipsâ in oculos incurrente omnis admiratio ceſſet, & omnis incredulitas evaneſcat. Hiſce quoque cunctis in hoc ſcripto exhibitis tanquam veritati expertæ fides adhibenda: quæ alio fine in publicum non prodeunt, quàm ut naturales ejuſmodi ſcientias in proximi commodum & utilitatem producant.

Quicunque igitur iis fidem habebit, fideique ſe participem reddet, honorem & emolumentum: incredulus verò dedecus & detrimentum conſequetur.

Vaticinabor itaque & prædicam, unicum hoc ſalispetræ ingenti copiâ conficiendi & ad metallicos labores adhibendi artificium, incredibiles Germaniæ Patriæ noſtræ theſauros allaturum eſſe, ſi non neglexerimus, aut ſomno deſide, & ignavo eodem non exciderimus. Si Deus unius anni vitam mihi adhuc conceſſerit, artificium ſalispetræ dictum pluribus emolumento futurum confido. Sin vero Divinæ Majeſtati tam brevis vitæ prolongatio non placuerit, cogitandum eſſet, quod Deus Omnipotens nobis Germanis, ut Moſi, terram promiſſionis quidem oſtenderit, ſed & ob

paccata

peccata & incredulitatem ad eandem aditum occluſerit.

Ut autem proximo meo abſolutè inſerviam, & ipſe non habeat, de quo queratur, quaſi ipſi dimidia tantum parte inſervierim, utpote qui lignorum prælum cum inſtrumentis ad illud pertinentibus non deſcripſi, unumquemque, certiorem jam reddo, quod omnia ad dictam vini, frumenti, & lignorum concentrationem requiſita neceſſaria perfectè apud me videri poſſint.

Si quis jam ex vino, frumento aut lignis ſuis fructum percipiendi cupidus, ſua maximè intereſſe viderit, ut dictam cognitionem acquirat, proculdubio probè cognitum, ac perſpectum habebit, quo in re hac acquirendâ defectu laboret, & quo pacto huic defectui inſpectione operis præſentiæ mederi debeat. Inſtrumenta autem, quorum mentionem feci, non diutius quàm ſex menſes, à Kalendis nimirum Martii, uſque ad Septembris Kalendas anni hujus 1656. conſpicienda exhibebuntur: Non enim ſemper onera tam moleſta huc & illuc bajulando mihi ipſi vitam inquietam reddere, ſed tandem de quieta ſede mihi proſpicere, ſtatui. Quid in hac re faciendum ſit, ex his cuique patebit.

Tres reliquæ de mineralium, & metallorum concentratione partes, ſi Deo placuerit, propediem quoque ſequentur. Quoniam verò

nitrum ejuſdem operis unicum eſt inſtrumentum, & ſine eo vili pretio comparato fructum inſignem conſequi nemo poterit, neceſſarium omnino eſt, ut de eo comparando laboretur: Cujus ſi copia ingens ſuppetet, ex mineralibus & metallis ſperata utilitas percipietur: Sin minus, fruſtra ipſius ope regnum illud metallicum perveſtigabitur. Tandem hoc affirmo, Nitri beneficio in metallicis laboribus mira effectui dari poſſe, imò decies plura, quàm ego ipſi in opuſculo meo de Miraculo Mundi adſcripſi, vel inpoſterum etiam adſcribere audeo. Omnia enim ad veram Alchimiam neceſſaria in eo, per eum, & cum eo perfectè perfici poſſunt.

Hiſce præfationem hanc concludo. Quicquid huic tractatui ob deſcriptionis brevitatem defuerit, demonſtratio oculis ipſis expoſita poſthac perfectè penſabit, ita ut facilè quis omni dubio ſe ſit expediturus. Nos hac vice his acquieſcemus.

GERMA-

GERMANIÆ PROSPERITAS,

PRIMA PARS.

IN Sanctiſſimæ Trinitatis nomine incipio deſcribere maxima Dei miracula, ut ejus gratiam & miſericordiam, quibus humanum genus complectitur, unicuique manifeſtem, nihil omninò celans, &c. Pater omnium noſtrum, & miſericors Deus, Creator cœli & terræ ducat & dirigat hoc opus, ut ſuo honori divino, & omnium noſtrum ſaluti inſerviat. Amen.

Franconiam ingrediens videbo, quàm opulenta & larga Dei benedictio in eadem inveniatur. Ordiar autem à vino ex nobiliſſimis creatis divinis haud poſtremo, & indicabo, ac demonſtrabo, quam ingratos nos omnium bonorum datori exhibeamus, & quanta turpitudine ipſius bonitate abutamur.

Quàm nobile creatum divinum ſit, & quo pacto colatur, & paretur vinum, neminem fugit, eaque de cauſa hîc pleniorem deſcriptionem non deſiderat, cum alii plures antehac illud abundè præſtiterint, & experientia quotidiana

diana ejuſdem uſum ſatis teſtetur. Illud hic tantum ſignificemus oportet, quomodo debeat tractari, ut melius quàm hactenus tractatum cultoribus ſuis etiam majorem fructum & utilitatem afferat. Neminem enim latet, quod vinum ſit inter omnes potus nobiliſſimum, & ſanitati maximè conducens ut & puriſſimus potus appellari & debeat, & poſſit. Senes refocillat, & frigidos calefacit. Juventuti tamen tenere vinum jure ac meritò vitandum, quia nimis maturè potum jecur facile inflammat, & exſiccat, varios deinde morbos excitat, ac tandem ipſam mortem affert. Unde nulla res adeò bona eſt, quæ damno afficere non poſſit, nihilque, adeò malum quod non aliquam quandoque utilitatem, depromat, prout ad uſum diverſum adhibetur, ut hic ex vino liquet, quod moderatè, & debito tempore hauſtum, non modo cibum in ſtomacho optimè digerit, & coquit, verum etiam cor, cerebrum, & ſpiritus vitales evidenter roborat, auget, & purum ac ſanum ſanguinem, & carnem generat. E contrario immodicè ſumptum, ſtomachum, pulmonem & hepar inundans, vaſa illa multis humoribus pravis replet, ac obſtruit, ut officio, cui à Deo & natura deſtinata ſunt, probè non fungantur, & morborum catervis obruantur. Nam ſpirituali ſua efficacia & calida natura & proprietate cor ac cerebrum adoritur, & labefactat, ac ſpiritum vita-

vitalem ſuperatum ſuffocat, ut in igne videmus, qui major minorem ſemper ſupprimit & vincit. Hinc homines quotidianis compotationibus ſe onerantes parum abludunt à recens natis vitulis & anſeribus, & nec Deo, nec hominibus nec ſibi ipſis emolumento eſſe ſolent.

Grande profectò dedecus, grandiſque eſt infamia, hominem creaturis cæteris nobilitate præſtantem tàm horrenda metamorphoſi ſe in fœdam beſtiam mutare, cum tamen à Deo creatus ſit, ut creatorem ſuum laudibus debitis celebret, ipſi quotidie pro infinita gratia & miſericordia gratias agat, proximo ſuo adjumento & auxilio ſit, & non ut feræ irrationales, & campi pecora vitam ſuam degat.

Sed quid dicam? Vetus eſt proverbium, Qualis Rex, talis Grex: Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ: Seniores & juniores pari paſſu ambulant. Parentes liberos monentes, ut à vitiis ſe avertant, cum cancro matre filiam hortante, ut recto gradu incedat, hoc reſponſi ferunt; quæſo mi pater, mea mater, i præ, & mihi gradum conſuetum oſtende, te ſequar. Si parentes liberis bono exemplo præirent, ex iis, qui alias impia & beſtiarum morem imitante vitâ ſeducti Diabolo ſe mancipant, longe plures conſervati in viam rectam reducerentur, & ad frugem redirent. Annon in Dei & omnium hominum prudentium conſpectu horrendum

rendum hoc verſatur vitium, & turpe facinus, quod Dei imaginem in Diaboli larvam convertit. Non loquor hîc de ebrietate illa, quæ homines etiam pios quandoque obruit, & cujus poſtea ipſos mox piget ac pœnitet, quod tantum potentiæ vino in ſe indulſerint; quemadmodum Lotho & aliis ſimilibus uſu venit: ſed de perpetuâ illorum hominum crapulâ, qui Epicuri de grege porci quotidianis compotationibus indulgentes ex porcina ſua vita voluptatem maximam capiunt, & de induſtriâ largam Dei benedictionem, ac munera prætioſa inutiliter profundunt, iiſdemque tàm miſerè abutuntur.

Quî Deo vita tàm inordinata placere poſſet, quando uter vinoſus & opulentus epulo non ſitim reſtinguendi, ſed abdominis & gulæ voluptatem explendi gratia tot vini cantharos ſingulis conviviis abſorbet, alios ad tam turpe vitium, abuſum, & inutilem donorum Dei prodigalitatem vel invitat, vel vi cogitet, ac ipſi vinum infundit: ſed miſero, & annis ac pannis obſito Lazaro refocillationis gratia ne guttulam quidem porrigit. Quî Deus tàm enormia ſcelera æquis oculis diutius aſpicere, aut etiam impunita dimittere poſſet? Annon ſæpius unâ compotatione in ſe ingurgitant heluones iſti copiam vini tantam, quæ modicè viventibus in multum tempus ſufficeret? Non dico quod tàm petulanter ſæpè vinum nobile & profun-

datur

datur & effundatur, ut vel ad talos uſque vinoſos iſtos, & ebrios porcos vina in pavimentis ſtagnantia tranſeant, & nobiliſſimum hoc Dei donum pedibus ſuis porcinis conculcent.

Quid verbis opus eſt? Quis hæc ità ſe habere ignorat? Hoc tamen ego dico, & firmiter credo, Deum præter opinionem forſan brevi finem ejusmodi impietati impoſiturum, ſicuti fecit temporibus Lothi & Noachi, quibus homines comeſſabantur, & potabant, ducebant, nubebant, donec ignis & aqua ſcelerum & peccatorum vindices ipſos obruerent. Attollantur parum oculi, ut videatur atra & obſcura nubes, quæ inſtans nos Germanos oppreſſura videtur. Num nares noſtræ à catharro bibendi & compotandi adeò obſtructæ ſunt, ut percipere nequeant fumum amarum & acerbum, quem ædes vicinorum incendio conflagrantes emittunt. Quis ignem oleo affuſo invaleſcere non crederet? Quicunque non credit, reipsâ tamen veritatem experietur. Felix ille, qui maturè credens Sodoma & Gomorra excedit, ne ab igne deprehendatur.

Avaritiam omnium malorum radicem eſſe quis ſe ignorare dicet? Homo, quem vinum obruit, quid faciat, neſcit, & ſui impotens quinque ſuis ſenſibus ſpoliatus eſt. Perinde ſe habet, ac venenum hauſiſſet. Quot & quanta peccata ebrii committunt, quæ ſobrii omitterent, Hic cadendo ſibi mortem accelerat,

aut

aut ab alio occiditur. Quæ libidines, ſcortationes, & adulteria tàm à ſenioribus quam à junioribus ebriis exerceantur, tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Potator non ſolum valetudinis proſperæ jacturam facit, ſed & temporis pretioſi, quod irrevocabile nunquam recuperabitur. Quoties perpetrat ebrius id, cujus ſobrium poſteà pœnitet, ut infamiæ maculam, quam ſibi inurit, & damnum quod patitur, ſilentio involvam.

Iure igitur ac meritò cuivis hominum ebrietas omnium vitiorum origo & radix pejus ipſo diabolo vitanda, ac ſobrietas è contrario & temperantia ſingulari ſtudio excercendæ ſunt. Hic dicere aliquis poſſet; quo pacto abſtinerem a potu in hominum conſortio verſans, ut non exhaurirem pocula, quæ more ſolito in ſanitatem alterius mihi propinantur? Sic enim nec dignitati nec authoritati meæ ſatisfieret, quæ tamen ſingulari ſtudio conſervandæ: Sed quæſo, quænam hæc eſt dignitas, & authoritas, quæ rationalem hominem in irrationale pecus, ebrium porcum mutat? Quid tua refert, quid alius facit, cum tibi ipſi propriæ tuæ villicationis ratio aliquando reddenda ſit.

Abuſum hunc, qui materiam hic propoſitam tangit, ut obiter & quaſi in tranſitu leviter taxarem, intermittere non potui, eâ ſpe fretus, aliquid ſaltem commodi me in commune contuliſſe,

tuliſſe, proſint ea, quæ prodeſſe poſſunt. Si quiſque rerum ſuarum ſatagit, cum aut ſine fructu, Deo & hominibus ſatisfacit.

In nomine Dei igitur in propoſita noſtra materia pergentes videbimus, quâ ratione plus ex vino utilitatis, quàm hactenus, repeti queat.

Primo ſciendum eſt ei, qui ad alicujus rei emendationem anhelat, quid ſit, & ex quibus partibus conſtet id, quod emendare ſtudet.

Quantum igitur ad vinum attinet, æquè ac cætera vegetabilia ex tribus principiis conſtat. Ex ſale nimirum, Sulphure, & Mercurio, ut terminis philoſophicis utar. Mercurius eſt inſipida humiditas ejus; & Sulphur Spiritus ille ardens qui ex eo elicitur. Experimento ſequenti rem ita cognoſces. Cucurbitam vino repletam balneo impone, & leni calore ea elice, quæ elici poſſunt; ita tamen, ut partes, quæ inter diſtillandum ſe mutant, quæque proprio & peculiari ſuo receptaculo excipiantur. Exempli gratia: ſi vini eſſent duodecim partes, aut menſuræ, una tantum ſpiritus, qui vini anima & vita eſt, pars & menſura primo adſcendet: Eum ſequentur decem aquæ inſipidæ partes, aut menſuræ: Reſiduum in vitri fundo materia eſt craſſa & auſtera, quæ tartarus vel ſal vini ferè etiam una pars aut menſura eſt. Ex his tribus partibus quodvis vinum compoſitum eſt, unius tamen aut alterius magis particeps, pro ut

maturius aut immaturius, aut in hoc aut illo loco natum eſt. Verbi cauſa: Vinum auſterum ſemper plus habet tartari, minuſque ſpiritus, quam matura vina. Maturius contrà vinum ſpiritu magis quam tartaro abundat, ut Hiſpanica, & alia vina extranea teſtantur, quæ ſemper, dulcia ſunt & manent, ac tartaro planè carent. Cauſa eſt, quod à ſole in calidis iſtis regionibus planè ad dulcedinem excocta ita matureſcant, ut auſterus tartarus, ſive ſal in ſaccharum dulce penitus mutetur & excoquatur. Hinc fit ut dicta vina in propoſitâ probâ nullam auſteritatem, noſtrorum in Germania vinorum more relinquant, ſed potius duplo plus ſpiritus, & vix dimidiam aquæ inſipidæ partem exſtillent. Quando auſterum vinum vigeſimam ſpiritus partem reddit, à vino Germanico maturo duodecima ferè pars, ab Hiſpanico ſexta pars ſpiritus, quatuor partes aquæ & fæcium ſine tartaro una pars; Sic à bono vino Germanico, uti antea dictum eſt, una ſpiritus, decem aquæ, & iterum una pars auſteræ, aut acetoſæ materiæ redduntur.

Cui hæc nota ſunt, ille facile ſe expediet adeò ut ipſius opera quovis tempore, ſive id calidum ſive frigidum fuerit, bonum, & conſtans vinum confici queat. Nec hîc querelæ eſt locus; quaſi Deus uno anno majori, quam altero erga homines benignitate utatur. Non Deo hujus defectus culpa imputanda, ſed nobis

qui

qui nihil ſcimus, nec ſcire volumus, & naturæ ipſi ſuccurrere non ſtudemus. Naturæ enim in labore ſuo impeditæ, & fructus ad maturitatem perducere non valenti ars opem & auxilium ferre poteſt, ſi nempè artifex illud, quo vinum natura ſua abundat, aufert, & illud addit, quo deſtituitur. Exemplo ſit vinum tenue, quod à ſole non ſatis coctum, & maturatum nimia auſteritate, & aqua, paucoque contra ſpiritu præditum eſt. Si tali vino; cum fervere incipit, aliquid ſpiritus adjunctum fuerit, ita ut unà fervere queat, ignei hujus ſpiritus beneficio in vaſe vinario æquè matureſcit ac ſi viti appendens à ſole maturatum fuiſſet, adeò ut hoc pacto ſingulis annis optima vina naſcantur, ſi quis iis opem ferendi cognitione polleat.

NB. Sed ſpiritus talis ne ſit vulgare illud vinum aduſtum, ſed grata, & pura vini eſſentia, cujus conficiendæ artificium in opere meo vegetabili deſcripſi. Quanto autem plus cum ejuſmodi vino hujus ſpiritus deferbuerit, tantò fortius & efficacius vinum evadit, cum omnes totius vini vires in ſpiritu eodem ſolo conſiſtant, & tartarus aut ſal idem copia ſua auſterum, & acerbum reddat. Muſta autem tali artificio fortiora, & efficaciora reddita, poſtea longo tempore incorrupta manent, & quocunque quis velit, evehi poſſunt, quo fit, ut nunquam ejuſdem jactura facienda, ut aliâs plerunque

ſolet, quando non matureſcit. Ex his patet, quod ex uno muſto, uno eodemque autumno nato trium, quatuor, aut plurium generũ vina confici facilè valeant, prout plus vel minus hujus Spiritus muſto additum cum eodem deferbuerit. Eſt & alius modus, cujus auxilio quodvis vinum auſterum facile corrigitur & emendatur. Vindemiæ tempore muſti, aut uvarum ſucci expreſſi liquor in peculiaribus vaſis ita coquendus eſt, ut inutilis humor, aut aqua inſipida ſenſim exhalet, donec tantum habeas quantum volueris, aut efficacia vini, ad quam corrigendo reducendum eſt, requiſierit. Nam in ſuperfluæ humiditatis exhalatione præter inſipidam illam aquam nihil abit: Dulcedo autem & auſteritas in illo craſſo & condenſato ſucco mel referente remanet; ità ut defrutum illud omnes vini vires & virtutes quaſi concentratas, & condenſatas complectitur, eas denuo proditurum, ſi cum aquâ proportione debitâ adjunctâ denuò ferveat. Vſus autem hujus defruti, aut condenſati muſti, quod nondum deferbuit, eſt, quod quovis tempore in longe diſſitas regiones ſummâ cum utilitate evehi, & vendi poſſit, quod antea fieri non potuiſſet.

Vulgò enim cuivis innotuit, quod ob frigidiorem æſtatem vina immatura & acida evadant & conſtare non ſoleant. Hæc quamprimum ad anni unius ætatem pervenerint, mucore obducuntur, & mucentia corrum-

puntur,

puntur, eo quod non ſatis ſpiritus habent. Vnde Vinitores frequenter ingenti damno afficiuntur, poſtquam toto anno vinearum cultui ſedulò incumbentes arctè contentèque vixerunt, & labore duro occupati aqua & pane vitam ſuſtentarunt, ea ſpe freti, quod vinum ſuum vendentes pecuniolam aliquam corraſuri ſunt, qua veſtes aliaque ad familiam ſuſtentandam neceſſaria comparanda ſunt, Vini futuri expectata ubertas; ejusque largâ pecuniâ venditi utilitas ſpem hanc fulcit. Vino autem conceptam ſpem eludente, & in acidum, auſterumque ſaporem abeunte, illud vendere non poſſunt, cum vix vecturæ prætio ſatisfacere queat, aut ſi vendatur, tàm vili pretio veneat, ut vix culturæ ſumptibus ferendis par ſit. Jam quid de cibo, potu, veſtibus, aliiſque ad familiam ſuſtentandam neceſſariis ſtatuendum. Futuro autem anno vineæ iterum excolendæ, novi ſumptus impendendi, undecunque intereà in victum & amictum faciendæ impenſæ petantur. Sed quid conſilii ineundum, ſi aliquot ejuſmodi anni ſe mutuo conſequantur? Miſeris hominibus cum uxoribus & liberis fame laborandum, aut in militiam, ut occidantur, proficiſcendum, aut ita deſperandum eſt, ut furti ſe alligantes tandem in cruce finem inveniant. Præſens enim mundus à miſericordiâ tàm alienus eſt, ut unus charitate Chriſtiana motus alteri in neceſſitate conſtituto

 ſubve-

ſubvenire haud velit. Ipſa vero hominum ingratitudo nonnunquam alios in mutuo dando, commodando, & juvando tardos & timidos efficit, eo quod plures ex neceſſitatis caſibus expediti aut reddere, aut laborando compenſare detrectant ea, quibus ex anguſtiis ſuis exempti ſunt. Hinc beneficio qui affecit ingratum ejusmodi hominem, pecunia ſua excidit, & ob eam malè collocatam poſtea ab auxilio iterum ferendo abhorret.

Vt autem incommoda tanta removeantur, & vinitoribus aliquod auxilium feratur, quo ſingulis annis vina ſua precio commodo vendant & nunquam damno illato premantur, aptè & commodè admodum fieri poterit adjumento hujus concentrationis, ſive condenſationis muſti evaporatione ad mellis craſſitiem redacti, quod poſtea in loca longe diſſita, in quibus vinum nullum naſci ſolet, commodè avehi & divendi poterit. Qui verò ejuſmodi muſta coctione coarctata ement, jam ſcient, quo pacto iterum aquæ beneficio dilatanda & in bona vina reducenda ſint. Vtrique igitur artificium hoc laudabile opem & auxilium fert: Vinitori, ut muſtis ſuis mox ſibi pecuniam comparet; Mercatori autem, ut facilius vinorum compos fiat, & vecturæ tantum ſumptuum impendere non cogatur.

Vt res facilius & clarius intelligatur computatio neſacta hujus condenſationis utili-

tilitatem & lucrum excutiemus. Ponamus, vinum non matureſcens acidum & debile manere, ut urna Franconica, aut cadus Francofurtenſis dimidius, ſeu dimidia ohma, vix floreno, aut ad ſummum thalero veneat. Tale vinum per duodecim tantum milliaria avehendum vecturæ ſolvendæ non ſufficit, utpote quod inter promendum degenerans muceſcit & aceſcit, ut caupo illud vendere nequeat, & alia vice ſibi à talis vini emptione caveat, vinitor autem illud retinere coactus ingenti damno afficiatur, cum omnis ejus incolumitas inde dependeat. Divites vero, licet vinum acidum naſcatur, ejuſmodi damno non mactantur, cum alia meliora vina in promptu habeant, cum quibus illa deteriora & acidiora commiſcentur, & venduntur: Aut etiam tenuia ejuſmodi vina tamdiu conſervant, donec Autumnus adveniat uberiores & maturiores uvas ferens, quarum muſto tenue illud vinum affundunt, ut de novo cum illo deferveſcens iterum vendibile evadat. Lucrum tamen hinc ortum ſatis tenue eſt & exile: quanto enim vinum acidum tenuius eſt, quàm eſſe deberet, quamvis bono vino miſceatur, tanto tamen hoc deterius evadit, imo quandoque accidit, ut utrumque corrumpatur & in vappam abeat. Nam quantum auxilii acidum vinum à bono illo conſequitur, tantum etiam bonitatis huic bono vino decedit. Ita ut emen-

datio talis, quacunque ratione etiam inſtituatur, haud multum commodi aut lucri offerat.

Exempli cauſa ut ſententia mea clarius percipiatur, monetæ duæ aureæ quarum tam una quam altera 25. imperialibus æſtimari debeat imponantur lanci, & examinentur. Examinatarum altera pondus debitum exhibeat, & altera quatuor imperialium pretio aut pondere minor ſit. Si tu jam illi monetæ, quæ pondus debitum conſervavit, tantum velles adimere, ut utramque, ad æquale pondus reduceres, hoc quidem facere poſſes, nullo tamen cum emolumento ſed potius detrimento. Nam quantum monetæ pondus debitum habenti ademeris, & alteri debitum pondus non continenti adjeceris, tantum illius pretio decedet, & utraque non apta erunt, ut erogari queant, cum precio & pondere debito careant. Quid ergò utilitatis aut commodi inde in aliquem redundare poſſet? Ita etiam cum vino comparatum eſt: Si quis duas vini vehes nanciſceretur, & unam viginti, alteram vero decem imperialibus vendere poſſet, & adhuc pro vino vendibili non haberetur; Mercator verò tenue illud vinum cum meliore miſceret, ut æqualia fierent, nonne melius illud vinum deterius, & tenuius illud parum admodum melius redditum eſſet. Non igitur videre poſſum, quod talis emendatio multum commodi afferre queat.

Mea

Mea vero emendatio & correctio ſemper utilis exiſtit, dum acidis vinis bona non corrumpuntur, ſed acida & ſuperflua humiditas artis beneficio tantum ſeparetur, & bonum in ſe ac per ſe condenſatum in arctius ſpacium redigatur.

NB. Qui volet, ex dulci muſto quartam tantum, quintam, aut ſextam partem evaporando ſegregare, & eo deducere mox poterit, ut ferveat. Eo meliora enim evadent, quò plus aquæ per exhalationem conſumptum fuerit. Si quinta vini eſſentia muſto iſti ferventi adjuncta fuerit, vina meliora, & generoſiora fient. Hic modus iis in locis uſurpari poterit, in quibus vinum plerumq; acidum manet. Namquæ ipſa natura maturat, iis vinis hac arte opus non eſt.

Aliâs ad mellis craſſitiem vina condenſari poſſunt, ut ad avehendum aptiora reddantur. Sex cadi aut ohmæ muſto pleni ita condenſari poſſunt, ut condenſatorum poſtea unus cadus facile capax ſit; quod deinde, ſi opus eſt, adjectis quinque cadis aquæ, quos in condenſatione perdidit iterum ſex vini cados reddere poteſt ejus bonitatis & efficaciæ, quam ante condenſationem habiturum fuiſſet, ſi non condenſatum, ſed ex prælo doliis infuſum deferveſcendo in vinum more ſolito abiiſſet.

NB. Sed ſi quem cupido inceſſeret vinum melius & nobilius perficiendi, quam ante concentrationem fuiſſet, non quinque ſed qua-

tuor tantum aquæ cadi addendi. Nam ſi tres cadi tantum adjicerentur, melius adhuc & uno gradu nobilius quam cætera evaderet. Hinc patet, in artificis manu eſſe, hæc vina pro lubitu fingere ac refingere, & debilia, fortia, fortiora & mediocria reddere, aquæque additione ipſis pro arbitrio quamcumque efficaciam & quaſcunque vires conciliare. Omnibus autem mixturis vini animam adjungere poteſt, ſi eam habeat, ut vina eò citius claritatem & puritatem nanciſcantur.

Quævis enim Quinta Vini Eſſentia cum muſtis novis conjuncta, & cum iis deferveſcens, eadem brevi temporis ſpatio ad claritatem & puritatem deducit, ut pellucida fiant: præcipuè autem quando ſunt tartariſata, aut tartaro plena. Nullum enim tartarum Spiritus vini tolerat, ſed in fermentatione ad fundum præcipitat, aut à ſe arcet, & per conſequens vinum clarum & pellucidum efficit. Qua ratione autem Eſſentia Vini Tartariſata per artem paretur, hic repetere opus non eſt, cum in diverſis meorum ſcriptorum hactenus editorum locis, præcipuè autem in opere vegetabili jam deſcripta ſit.

Conſultum etiam non eſt, ut unicuique innoteſcat, quo pacto defruta aut muſta concentrata, cum aqua & quinta Eſſentia tartariſata parentur. Sufficiat hoc loco ſcire, quomodo muſta concentranda, aut in anguſtum cogen-

da

da ſint, ut avehi & divendi poſſint. Mercatorum cura hæc eſto, ut iis coemptis uti valeant. Vinitorum vero cerebra harum rerum non ſunt capacia. Nihilominus ſe offerent homines, qui ejuſmodi defruta, & condenſata muſta ad uſum debitum adhibere ſcient, ſi eadem nanciſci poterunt, quorum tamen unuſquiſque compos fiet, ſi ahena & cacabos ad talem operationem neceſſarios habuerit, quibus ſatis ſuccorum conficiet. Non quivis verò ruſticus ſibi tales cacabos comparare poteſt, quod etiam non conſultum eſſet, cum parum vini ejuſmodi ſumptibus ferendis non par foret. Qui vero in hoc artificio exercendo ſtudium & impenſas collocat, plurimum commodi & utilitatis inde ſentiet. Sive autem facturus aut non facturus ſit, nihil mihi commodi aut incommodi afferet. Sufficit, quod vinitoribus palam fecerim, quo pacto ſemper vina ſua vendere poſſint, ſive matureſcant ſive ad maturitatem non perveniant.


Ut lectorem benignum melius inſtruam operationis hujus ſumptus computans indicabo, quid lucri hæc muſtorum condenſatio polliceatur. Primo muſta in ejuſmodi locis coëmemus, in quibus tenuia ſunt & vili pretio venduntur: duodecim nempe urnæ, aut 6. Cadi aut Ohmæ 12. imperialibus, quod muſtum ad mellis conſiſtentiam condenſabimus, ut unus tantum cadus ſeu una Ohma reſidua ſit.

Im-

Impenſæ ad hanc concentrationem requiſitæ (ſi ahenum in promptu eſt) dimidio circiter thalero æſtimantur, qui ligno impendendus pro quo nos imperialem ponemus. Vas vinarium, quod ſucco condenſato implendum, dimidio imperiali æſtimabimus: vectioni per quadraginta milliaria 6. imperiales attribuemus. Omnes ſummæ in unum collectæ $19\frac{1}{2}$ imperiales conficiunt. Tanti conſtabit unus cadus aut una Ohma hujus muſti condenſandi, & per 40. milliaria curru avehendi. Hoc muſtum in talem locum delatum, ubi vina magni conſtant, quovis anni tempore aquam addendo, & fermentando in bonum vinum commutabis. Cadus autem ille unicus ex ſex cadis muſti condenſatus tibi reddet totidem cados vini talis, quale muſtum ante concentrationem fuit. Si vinum fortius & nobilius deſideras, quam ex prælo effuſum eſt, & ante condenſationem fieri potuit, tantum aquæ non adjiciendum, quantum in condenſatione ipſi deceſſit, ſed copia æqualis minuenda, ut ſex iſti ad quatuor tantum vini cados redeant, & generoſius reddant, quod longe melius habebis, ſi quintam Eſſentiam eidem adjungere noveris. Si igitur unus cadus ſucci, quem ante condenſationem ſex cadi complectebantur, quatuor iterum reddit, neceſſario vinum illud nobilius & melius eſſe oportet, quam aliâs evaſiſſet, ſi naturali modo natum fuiſſet. Ea de cauſa

etiam

Google



Digitized by Google

etiam melius durare, & facilius promovendo vendi poterit.

Si jam in loco ejuſmodi quadraginta milliaribus à regionibus viniferacibus diſſito cadus aut Ohma duodecim tantum imperialibus venditur, & tu ſex cadis vini tenuis quatuor paraſti meliores, & quemque cadum duodecim imperialibus vendis, quadraginta octo habes imperiales, de quibus novendecim cum dimidio dempti, relinquent viginti octo & dimidium imperiales, quos lucratus es. Sed minimo pretio vinum hoc æſtimavi, cum in locis, quæ quadraginta milliaribus abſunt à regionibus, in quibus vinum abundè naſcitur, vini boni cadus aut Ohma non duodecim, ſed viginti quatuor imperialibus ematur. Lucrum ergo vehis alicujus vinum tenue continentis, quod forſan ſitu corruptum fuiſſet, & nullum unquam quæſtum attuliſſet, ad minimum quinquaginta imperiales excedit.

Quantum ergo quæſtum hoc concentrationis muſtorum artificium pariat, quiſque videre poteſt: Nam præter hoc commodum ex hoc labore oriens, quod muſta mox vendita pecuniam præſentem afferant, & illud etiam naſcitur, quod pecunia mox iterum collocata utilitati proximo anno futuræ viam ſternat. In mercatorem hoc commodi ex labore hoc redundat, quod aquam per vias tam longinquas vehere, & vectigalium tot ſolutione redimere

mere non cogatur: quod pro arbitrio vinis ſuis vires & efficaciam conciliare queat: quanta enim hæc commoditas, cujus beneficio in cado uno vehitur omne vinum, quod in ſex cadis fuit? Non enim ſolum hîc Mercator ſumptus, & vecturæ prætium quinque illis cadis impendendum lucratur, verum etiam non eſt cur vereatur, ne ab aurigis in viâ ſuccus ille (ut alias fieri ſolet) corrumpatur, vinum exhauriatur, & ejus loco aqua doliis infundatur. Cui periculo hi ſucci neutiquam obnoxii ſunt, qui vini feracibus annis exiſtentibus copiosè cuſtodiri poſſunt, donec ipſis opus ſit. Corrumpi enim non ſolent, ſi in puris, & probè obturatis doliis conſerventur. Hoc pacto quivis œnopola, annis ubertate ſumma luxuriantibus, de theſauro grandi, vinorumque copia ſibi proſpiciet, ut poſtea annorum caritate incidente, ſuccos in vinum redire cogat, & quæſtu magno fruatur.

Inſignem hanc artem eum in finem deſcripſi, ut vulgares vinitores muſta ſua mox vendere poſſint, & eadem non cogantur tam diu conſervare, donec auriga aliquis veniat, & vinum quærat; ſed pecuniam mox nanciſcantur, eaque in familiæ ſuæ uſum collocata ſuo commodo conſulant. Quare non vinitori ſolum & mercatori optimè conſulitur, ſed etiam omnibus iis, qui habitant in locis vinum non producentibus, quod hujus medii beneficio viliori etiam pretio bibere ipſis licebit. Nam ſi

quis

quis civium honeſtorum cadum totum, aut dimidium ſibi afferendum curaverit, domi ſuæ *ſuccum* parare, & in fortiora aut debiliora vina mutare, nova & adhuc ferventia muſta dulcia, quandocunque ipſi placuerit, per totum annum conficere, & quovis anni tempore, ac quandocunque opus fuerit, adjunctis aromatibus & herbis aromatitas & vina medicata parare poterit; quod ſine his ſuccis condenſatis fieri non poteſt, cum muſta dulcia terreſtri itinere aliò tranſportari non queant, utpote quæ mox fermentationem ſentientia efferveſcunt, & vel ex doliis erumpunt, vel iis diruptis effunduntur, quod, ſuccis his habitis, neutiquam timendum eſt. Hujus igitur artificii manifeſtatione fideli de plurimis optimè me meritum eſſe opinor, quod meum factum ſive laudetur ſive culpetur, ab iis tamen deſpicatui non ducetur, qui tanti artificii commodum & utilitatem ſentient, & percipient.

Reſtat, ut inſtrumenta, & cacabos huic condenſationi inſervientes, ſine quibus concentratio hæc effectui dari nequit, etiam deſcriptione noſtrâ ob oculos ponamus, & procedendi modum demonſtremus, qui ſequenti ratione inſtituendus eſt. Primo ahenum ea magnitudine, qua tibi ad majorem vel minorem ſuccorum copiam opus eſſe cenſebis, fundum habens planum & æqualem, & margine ad ſpithamæ circiter altitudinem aſſurgens conficien-

ficiendum, & intus non plumbo, ſed probe ſtanno obducendum curabis, quod impones fornaci cum ejus magnitudine convenienti, ita ut muris ejus impoſitum fundo ſolo flammam ſentiat, margine verò planè intactum maneat. Muri fornacis duorum pedum altitudine conſtructi à fronte ferreo aut lapideo oſtiolo lignis injiciendis, & igni regendo inſerviente aperiuntur, & clauduntur: A tergo foramen eâ magnitudine, quæ igni aëris acceſſu fovendo ſufficiat, flammam & fumum emittet. Ità autem conſtitutum ſit oportet, ut lato lapide contegi queat, ſi opus fuerit, quò ignis ita regatur, ut ſucci nimio igne preſſi non exundent, aut uſtionem non ſapiant. Hi tamdiu lignis coquendi ſunt, uſque dum craſſeſcere incipiant, addendumque iterum novum eſt muſtum, cujus additio toties repetenda donec cacabus craſſis ſuccis iſtis ferè repletus fuerit. Tunc foramina fornacis ventum recipientia tàm ſuperius quam inferius obturanda, ut nulla ſub aheno flamma ſed ignis tantum candor & calor lenis ac ſuavis ſentiatur, qui ad mellis conſiſtentiam porrò ſuccos ſuavi decoctione deducet & ſine ulla aduſtione condenſabit, ut inſtar ſacchari dulces evadant. Hi per epiſtomium proximè fundum margini in aheno inſertum ac apertum emittuntur, eoque clauſo iterum alii eodem modo condenſandi aheno infunduntur, donec muſta omnia condenſata fuerint.



Digitized by Google

fuerint. Succi autem condenſati, atque ex cacabo calidi emiſſi non ſtatim in dolia infundantur, ſed prius ligneo alicui vaſi inſuſi tamdiu relinquantur, uſque dum refrigerati, doliis immittantur, & obturentur, in quibus, quamdiu volueris, eos à corruptione ſartos tectoſque ſervabis. Si calidi doliis confeſtim inderentur, dolia obturata diſrumperent, aut ex iis apertis propter concluſos vapores, quibus exhalatio nulla conceditur, erumperent.

NB. Hic egregium adhuc ſecretum addam oportet. Quando ſucci jam duas aut tres ſeptimanas quieverunt & poſtea tepidâ aqua ſolvuntur, reſiduus tartarus, qui vinum acidum reddidiſſet, parvarum & magnarum Cryſtallorum figuram obtinens, inſolutus in fundo deſidet, & frigida aqua elutus, tartari loco uſurpari poteſt, cum nihil aliud quam purus & putus ſit tartarus. Conducit autem maximè vino tartari hujus ſegregatio, cum multo melius evadat, quàm ſi Cryſtalli ejus aqua calida ſolutæ apud illud remanſiſſent. Nihil autem hic perit, quandoquidem tartarus ejuſmodi ſuccis ipſis pretio reſpondet. Hoc autem pacto aciditate ſua liberabuntur, & ſuaviora reddentur vina, quod profecto grandis & utilis artificii loco habendum, quo plurimi cum ſumma ſua utilitate uti ſcient.

Nullus jam dubito, quin dicaces & naſuti deriſores me adorturi, & variis objectionibus

bonum & honeſtum meum propoſitum aggreſſuri ſint, quos reſponſionibus haud parvi momenti antevertere jam poſſem. Sed in cujuſque aſini inſcitiam prolixum ſtylum ſtringere, & litium, convitiorumque plauſtris, ut multi faciunt, libros onerare haud neceſſarium duco. Qui in hiſce intelligendis, rudi ſuo intellectu expedire ſe neſcit, licet tam clare & manifeſtè elucidata ſint, eidem prolixiora certe nullo emolumento forent. Qui verò hujus operis deſiderio capietur, ulteriore meditatione in tanti artificii penetralia ſe inſinuabit, & æquiore animo feret, quod laxiore ſtylo utendi tempus in præſentia mihi non concedatur.

Si quis verò clariore traditione ſibi hoc artificium declarari deſideret, legat explicationem meam appendicis quintæ Fornaci adjunctæ, ut & opus Vegetabile, ubi plura ejuſmodi artificia inveniet. Aut ſi forſan ipſius interſit, fornaces & ahena ad ejuſmodi opus requiſita cum operationibus manualibus apud me videre poterit.

Paucis & quaſi obiter hîc inſerere cogor, ſi nonnulli homines imperitiores capere non poſſent, quod de tribus principiis indicavi, unumquodque ſcilicet vinum iis conſtare debere, Sale nimirum, Aqua & Spiritu, intrepidè & verè affirmare auſim; illum, ubique locorum vinum bonum conficere poſſe, qui tria hæc principia ſecundum artem conjungere novit.

NB.

NB. Nemo autem ſibi perſuadeat, ſe quid boni moliturum, ſi tartarum aqua, & vini ſpiritu miſceret. Minimè gentium voti compos fiet. Longè aliæ operationes manuales ad hoc artificium requiruntur, quas hîc manifeſtare non conſultum eſt. Quisque præſentibus contentus eſto: Forſan Deus alio tempore meliora largietur.

Equidem ſpero, neminem eorum, qui Deum ac proximum ſuum ſincero amore complectitur, ſequius accepturum, quod artem tàm inſignem, & tàm utilem in propatulum producam. Quid lumen ſcamno ſuppoſitum utilitatis habet? In menſa collocandum eſt, ut unicuique divina Dei miracula innoteſcant. Quo fine hunc laborem mihi ipſi lubens impoſui, ut tantarum rerum cognitione unumquemque, participem reddam, minimè dubitans, homines proximum amore debito proſequentes mecum gaudio exultaturos, quod tantis beneficiis afficiantur. Invidiæ ſtimulis agitati, qui nemini, niſi ipſis quid boni evenire gaudent, quamvis hæc invidis oculis aſpiciant, tamen, ſi in Chriſtianorum numero haberi velint, his contenti eſſe poterunt. Vivendi ſpatium breve mortalibus conceſſum eſt. Mors certiſſima homines manet: Mortis hora incertiſſima mortalium cognitionem penitus fugit. Hinc plurimi finis inſtantis immemores, computatione perperam facta ſubitò

obruuntur, & bonis excidunt. Veteris proverbii igitur accurata ratio habenda: Qui moritur, antequam moritur, non moritur, quando moritur.

In vita benefacere certius eſt quàm aliorum hominum benefactis poſt mortem futuris confidere, quod incertiſſimum eſt. Mea quidem opinione hoc certum & firmum haberi poteſt, ſi quis de proximo bene mereri ſtatuerit, ut id vivus exequatur, & in tempus futurum non proroget, quo exitum rei ipſe videat. Multa à majoribus noſtris ad Dei honorem & pauperum ſolatium olim inſtituta ſunt, quibus inutiliter profuſis & prodactis ſæculum præſens turpiter, proh dolor, abutitur, quæ tamen perverſa villicatio (quod breve admodum tempus nobis aperire & manifeſtare poſſet) diu non durabit.

CAPUT SECUNDUM
DE FRUMENTO,

Qua ratione concentrandum, & condenſandum, magna copia in alias regiones exportandum, pecuniaque & lucrum eodem faciendum ſit, demonſtrat ac docet.

IN præcedenti capite erudivi, quomodo vilis pretii vina concentrationis auxilio commodè ex una in remotiores regiones vino deſtitutas evehi, & nummos parere poſſint. Quod artifi-

tificium regionum vino abundantium, in quibus interdum mercatores deſunt, incolis maximum emolumentum conferre valet.

Jam unuſquiſque cognitum ac perſpectum habet, in plurimis Germaniæ locis, & Franconia cumprimis, cæteriſque eidem contiguis tractibus frumentum adeò vile eſſe, ut quid eo faciendum ſit, incolæ neſciant, eaque de cauſa in horreis & granariis corrumpatur, cum propter nimiam abundantiam vendi, aut ob gravia vectigalia, vectioniſque ſumptus enormes, in Germaniæ inferioris regiones, in quibus pretio ſatis magno emitur, deportari nequeat. Hinc miſeri incolæ largo quidem vini & frumenti proventu gaudent, ſed pecunia tamen carent, ut magiſtratui debita tributa ſolvant. Unde in tanta divinorum munerum largitate, divitiiſque tantis nihilominus ipſis penuria laborandum, utpote qui tantum vendere non poſſunt, ut familiæ, ſervis puta & ancillis debitam mercedem ſolvant, aut etiam eoſdem ſuſtentent. Pœna profecto hæc eſt divina, & ſingularis qua in nos ingratos homines animadvertitur. Bello durante, cum inſignis egeſtas Germaniæ incolas divexaret, communis clamor in cœlum ibat, qui vitæ profligatæ emendationem largis promiſſionibus pollicebatur: Bello ſopito, & exoptatiſſima pace redeunte deteriores & improbiores facti ſunt omnes, quibus divina benignitas tantam rerum maxime neceſſariarum

affluentiam nihilominus conceſſit. Hujus tanta eos ſatietas cepit, ut jam etiam pecuniæ largitati inhiantes Deo ipſi obmurmurent inſtar Iſraëlitarum, qui rerum neceſſariarum copiam faſtidientes Moiſi oblatraverunt.

Haud abs re quidem eſt, ſi Magiſtratus pecuniæ loco, quo miſeri incolæ carent, vinum & frumentum pro tributorum redemptione accipere recuſant, & his neſcientibus, unde pecunia petenda ſit, ſolutionis neceſſitas inevitabilis nihilominus incumbit, quod miſeri dolore ſummo afficiantur videntes tantos theſauros, quibus in corruptionem abeuntibus nec uti nec frui poſſunt. Ut in futurum tempus conſerventur, jamdudum granaria diſtenduntur, & corrumpuntur, magnaſque querelas & gemitus excitant.

Vilitatis annonæ cauſa hæc eſt. Poſt pacem conſtitutam, & militum dimiſſionem, multi præfecti militiam pertæſi, ac pecuniâ equiſque abundantes paſſim exhauſtis & pecunia egentibus incolis viliſſimo pretio maxima prædia extorſerunt, & maximo ſtudio terras hactenus quietas & diu non rectè cultas excoluerunt, quæ tàm feraces fuerunt, ut in ſummam mortales admirationem rapuerint. Incolæ, qui peciniola jam aliqua quoq; inſtructi erant, & manus ſuas aratro admoverunt, ac in terra excolendâ omnes nervos intenderunt. Hinc regiones tanta frumenti multitudine pauco-

paucorum annorum decurſu repletæ ſunt, ut quid eo jam faciendum ſit, planè ignoretur. In diſſitas regiones frumentum deportare, graviſſima vectigalia, & ſumptus vectioni impendendi non permittunt. In granaria illud recondere aër non patitur, quod tamen Joſephi tempore in Ægypto factum eſt, ubi aër nitroſus, ſiccus, & non perinde ac noſter corruptioni obnoxius, à frumento corruptionem arcet. Quid conſilii igitur capiendum? Num deſperationi omnia indulgenda, & animus abjiciendus eſt, Iſraëlitarum more, qui omnem de divinâ gratiâ ſpem abjecerant.

Hoc procul à nobis abſit. Neceſſitas nunquàm tanta eſt, ut eâdem homines Deus Benignus expedire non poſſet. Imo quantò major eſt difficultas, eò propius nobis eſt auxilium divinum, ſi modò ejuſdem cupidi fuerimus. Tempus illud nondum adeſt, quod erat apud Iſraëlitas, cum aquæ defectu, ſiti intolerabili cruciarentur: quod erat Samariæ, cum fames incredibilis urbem affligeret: quod erat Canæ in Galileâ, cum vino convivæ in nuptiis deſtituti eſſent. Deus ſui temporis rationem habet, ſi modo illud patienter expectaremus & nulla deſperatione ipſum offenderemus, ſed omne noſtrum ſolatium ab illo ſole, & à nullo alio peteremus, & præſtolaremur. Eos, qui in ipſo ſolo fiduciam ſuam collocant, nunquam deſtituit, aut in extremis calamitatibus relinquit.

Daniel, Elias, Jobus, Lothus, Noachus, & plurimi alii ſancti homines teſtes ſunt, quàm mirabili liberatione ſuos Deus ex afflictionibus & ærumnis eximat. Cur ergo in præſentibus miſeriis auxilio nobis adeſſe non poſſet? Potentiſſima ipſius manus hodie non eſt infirmior, quàm olim fuit: Infinita ipſius miſericordia finem non habet: Paternus ejus amor erga liberos ſuos egentes quotidiè renovatur. Ipſi igitur culpa non imputanda, ſed nobis qui adeò impatientes ſumus, & credere non poſſumus.

Tempus venit (imò jam præ foribus eſt) quo paſſim & ubique multitudo pecuniæ maxima, & inopia nulla exiſtet. Sed conſcientia tandem expergefiet, rodens vermis mordere incipiet, impiorumque turba peſſum ibit. Ideò, quia pios tolerare nequeunt, corda ipſorum veneno & felle abundant, manus humano ſanguine infectæ ſunt, omnes ingenii nervos ad malefaciendum intendunt, pedes impias & deteſtandas vias ingrediuntur, & impietas ipſorum tanta eſt, ut verum Deum neque revereantur, neque colant. Ea de cauſa aſſero & affirmo, quod ejuſmodi impietas horrenda conſiſtere nequeat, & tempus inſtet, quod maximam mundo mutationem allaturum erit. Securis ad arboris radicem admota eſt. Lampades extinctæ ſunt, oleum conſumptum eſt. Sponſus venturus maximam partem ludentem,

tem, & dormientem offendet, oſtium poſt ſe claudet, & luſores, ebrioſos, ſcortatores, adulteros, & avaros in tenebris relinquet.

Quæ hîc ſcripſi, ex bono animo, & ſinceræ intentione profecta ſunt. Ea plus boni quàm mali effectura ſpero. Multis oculos apertum iri ſcio, ut videant, in quo chao Babylonico mundus præſens verſetur. Deus piis adjumento ſit & impios à malo impietatis curſu in orbitam reducat.

Proceſſus frumentum concentrandi hic eſt.

Primo Bynen aut polentam quam Germani Maltz / Belgæ, *Mout* appellitant, ex hordeo, tritico, avena, farre vel zeâ, aut ex alio quovis frumento para, quæ vel ſole vel in aere, aut etiam in calido furno piſtorio exſiccanda, non autem cereviſiariorum more torrenda & frixanda eſt. Nam ita ligni fumus acris, eidem adhæret, ut nigreſcat, amara fiat, & ut facilè conjici poteſt, nihil boni exhibeat. Hoc enim modo ligni fumus frumento & germinibus protruſis, & madefactis adhærebit, ac cereviſiam ex ea coquendam inſalubrem ingratoque ſapore amaram reddet. Sed polenta in aëre, ſole, aut calido furno ſiccata ingrato fumi ex lignis prorumpentis ſapore caret, ſuavis & dulcis manet.

NB. Aliâs quidem frumentum, quod jam germinavit, & in tabulato aliquo vento ex-

poſitum aliquâ ratione humiditate ſua ſpoliatum eſt, in cereviſiariis ahenis, in quibus cereviſia decoquitur, purè & celeriter exſiccari poteſt, ſi modò ſine intermiſſione ligno aliquo commoveatur, ut ubique, calorem ſentiat, & ſiccum evadere queat. Cavendum tamen eſt ne ignis qui ad ſiccandam polentam aheno ſubjicitur, nimius ſit, frumentumque adurat, & malum ei ſaporem conciliet. Talis polenta ſecando comminuenda eſt, ſicut alia, quæ ad coquendam cereviſiam adhiberi ſolet, molitur; ita tamen ut partes comminutæ nec nimis craſſæ nec nimis parvæ & exiles maneant. Nam ſi nimis craſſa fuerit, & grana integra manſerint, aqua vires & ſuccum inter coquendum ſatis exugere nequit, ut virtutis potiſſima pars in excoctis exuviis maneat, & pecoribus nutrimentum præbeat; Si nimis parva reddatur, in acervum conglutinata in colando cereviſiam non dimittit. Itaque modus hîc tenendus, & opera danda, ne in exceſſu aut defectu peccetur. Ex polentâ dicto modo paratâ pro more ſuo quiſque cereviſiam coquet, ejuſque tantum, quantum vaſa, ahena. & labra ſua ipſi permittent. Quidam polentæ ferventem aquam infundunt, agitando utramque miſcent, ac per aliquod tempus quieſcere ſinunt, ut aqua vires imbibere poſſit. Aquam illam per epiſtomium emittunt, aliamque infundunt, infuſioneſque illas toties repetunt, uſque dum aqua

nullam

nullam amplius dulcedinem exugere valeat, & nil inſi inſipidæ ſiliquæ remaneant, quæ pecoribus nutrimentum præbent.

NB. Alii quibus vaſa per fervidam aquam virtutem ex polenta extrahendi non ſuppetunt, polentam paratam, & aquam tepidam aut frigidam affuſam in labris ligneis probe circumagitant, per aliquot horas ibi relinquunt, ut polenta maceretur. Poſtea aheno indunt, & tantum aquæ infundunt, ut inter coquendum polenta aduri nequeat. Dimidiæ horæ ſpatio coctam infundunt ſtramini eum in finem parato, & labro incumbenti imponunt, ac cereviſiam colant. Hic labor affuſione, coctione & colatione toties, teratur, donec ex polentâ dulcedinem aqua attrahere deſinat. Hic cereviſiam coquendi modus iis tantum uſitatus eſt, quibus plura & majora vaſa deſunt. Prior non ſolum melior & commodior eſt, ſed etiam ad majorem cereviſiæ copiam coquendam aptior.

NB. Illud hic animadvertendum eſt: quando optimus & primus ſuccus ex labro per epiſtomium depromptus, & ſecunda vice nova aqua fervens polentæ in aheno affuſa, & denuo per epiſtomium detracta eſt, duas illas aquas, in quibus potiſſima polentæ virtus occurrit, ſenſim in aheno plano decoqui, & condenſari poſſe. Tertia & quarta affuſio, bonæ quidem adhuc, ſed non ſatis pingues, & parum

virium

virium continentes non dignæ ſunt quæ decoquantur, cum ignis ipſarum impenſas reddere nequeat, ad alium igitur uſum adhibendæ. Quando quis hoc labore occupatus eſt, aliquot coctiones ſe mutuo inſequentes inſtituere poteſt. Affuſiones iſtæ, ſecunda nimirum & tertia, in prima coctione reſiduæ, in ſecunda coctione aquæ nudæ loco affundendæ ſunt. Atque ita pergendum eſt, ut ſemper prima & ſecunda affuſio præcipuas polentæ vires in ſe continentes in aheno evaporationi deſtinato ad mellis conſiſtentiam decoquantur. Tertia & quarta affuſio verò ſemper in ſequenti coctione aquæ nudæ loco polentæ affunduntur, quo iterum inſtar primæ & ſecundæ affuſionis, quæ in prima coctione fuerunt, in aheno per evaporationem condenſentur. ſic ſemper prioris coctionis tertia & quarta affuſio ſit ſequentis coctionis prima & ſecunda affuſio, moduſque hic procedendi maximam & potiſſimam virium partem ex polenta elicit, & ſumptus coctionum minuit. Hi enim majores longè forent, ſi tertia & quarta affuſiones etiam pro ſe excoquendæ eſſent.

NB. Ahena, & cacabi ad hunc ſuccorum extractorum ad mellis craſſitiem reducentorum laborem neceſſarii ſuperius, ubi vinorum concentrationis mentio facta eſt, jam deſcripti ſunt. Qui mentem meam aſſequi ſatis non poterit, ei labor ſumendus, ut meas fornaces

ahena,

ahena, aliaque ad hoc opus pertinentia inſtrumenta, ut & manualem operationem apud me videat, cum ipſi alia ratione adjumento eſſe nequeam. Prolixiore enim deſcriptione ejuſmodi res hîc proponere tempus hac vice non permittit.

Succos condenſatos ex aheno exhauries, aut per epiſtomium, quod aheno inſerendum, exeuntes excipies, atque frigidos doliis infundes, probeque obturabis, ut aër externus non admittatur. Sic eos, quamdiu volueris incorruptos ſervabis.

NB. Inter coquendum ſummo ſtudio adnitaris oportet, ut ſucci nimio igne aut non adurantur, aut nimium fervefacti ebulliendo ſe effundant, quod per regiſtra, ut Chymici vocant, igni regendo deſtinata cavebitur. Hic compendioſiſſimus vires ex frumento eliciendi, & in anguſtum cogendi modus eſt, quem ſi recte, & ſecundum artem inſtituas, ut de ſuccis nihil profundatur, aut pereat, octo polentæ dolia, unum ſucco repletum tibi dabunt continens omnes vires, quæ in octo doliis iſtis fuerunt. Reliquiæ pecoribus ſaginandis inſerviunt.

NB. Qui reliquias iſtas alio modo in uſum ſuum convertere novit, melius facit, & tantum ex iis elicit, quantum frumento emendo impendere coactus eſt, adeò ut ſuccos quaſi gratis habere poſſit. Sed poſtea de his plura dicentur.

Quan-

Quantum ad ſuccos hos attinet, totam frumenti virtutem complectuntur, ex quibus, ubi volueris, cerevisiam coquere, vinum aduſtum parare & liba piperata pinſere poteris. Nam mellis loco adhibiti eadem multò ſuaviora reddunt. In iis igitur locis parandi, in quibus frumentum vili pretio emitur, ad extera loca exportari nequit, & tanta copia invenitur, ut ruſtici, quid eo faciendum, neſciant, & ipſum in acervos congeſtum corrumpatur. Porrò majore commodo & lucro ibi parabuntur, ubi ligni copioſi vilitas lucro incrementum haud exiguum adjungere poteſt.

Ut hujus laboris natura & ratio melius intelligatur, ſequens computatio efficiet. Si ſumerem octo dolia frumento plena, redigerem in polentam; coquerem præſcripto modo cerevisiam, & condenſarem in ſuccum quôunum dolium replerem, Hoc longè commodius, quàm octo iſta dolia, ſive curru, ſive navigio in exteras regiones evectum duplo aut triplo plus lucri mihi afferret, quam octo medimni frumenti. Quare? Quia maximo labore jam ſuperato poſtea exiguus reſtat, quo cereviſia ex ſucco coquenda, ut ſequens exemplum demonſtrabit.

Emo dolia octo in ejuſmodi loco, ubi frumentum & ligna vili pretio comparantur, & flumen aliquod locum iſtum præterlabitur, ut Moënus in Franconia, Nicer in Suevia, Viſurgis

in

in Haſſia, & Brunſvicenſi Ducatus, Albis in Saxonia, & Miſnia. Nam in his locis omnibus & frumentum eſt abundans, & lignum copioſum, pretium verò utriuſque ſatis vile. Si jam frumenti medimnus uno imperiali æſtimetur, octo medimni octo imperiales dabunt: ligna uno imperiali, & labor uno floreno conſtabit. Succus ex octo doliis frumenti in abiegnum dolium inſtar mellis recondendus, ut in vectigalibus ſolvendis non pro vino, aut cerevisia, ſed ſicca merce habitus, ſecundum centenarios, ut aliæ ſiccæ merces laxetur. Conſtet ergo dolium ad urbes maritimas flumine ſecundo devehendum duobus florenis: Omnes hos ſumptus in frumentum, vecturam, ignem & laborem inſumendos ſi in unam ſummam colligo, duodecim floreni, aut octo imperiales venient. Ex uno autem dolio ejuſmodi ſuccum continente poſtea optimæ cereviſiæ dolia octo conficere poſſum, minoris vero ſaporis decem, aut etiam duodecim, prout cereviſiam forſiorem, aut remiſſiorem & debiliorem coxerim. Hoc profecto certum eſt, quod unum frumenti dolium, plus cereviſiæ bonæ dare queat, ita ut ex uno dolio frumenti fortis cereviſiæ dolium unum & dimidium coquendo elici poſſit. Si autem dolium ejuſmodi cereviſiæ tribus imperialibus venale eſſet, octo dolia, quorum emptio, in unum dolium redactio, & in dictum locum devectio octo imperialibus conſtiterunt,

runt,ibidem viginti quatuor imperialibus vendi poſſent,de quibus octo demptis reſiduum lucrum ſexdecim eſſet imperialium, quod profecto ſatis magnum pro octo iſtis doliis ſufficeret.

Poſito, quod frumentum carius eſſet, ſucci majoribus ſumptibus ad dicta loca deferrentur, & octo iſta dolia frumenti, ſive unum dolium ſucci præter omnes ſumptus imperialium tantum octo lucrum redderent, ſatis grandis tamen hic quæſtus emolumentum tale afferret, quo facile quis contentus eſſe poſſet. Taceo alia commoda quæ tanto quæſtui ſe adjungant. Hoc enim medio vendibile ſit frumentum, quod alias ſitu periret. Annona porro laxata frumentum vile coëmere, concentrare, & cuſtodire licet, donec annonæ difficultas ingruat. Nec eſt,quod timeas, ne à muribus aut gliribus conſumatur, & carie, ſitu, aut alio quocunque modo corrumpatur. Tantum etiam loci,quantum frumentum,non occupat. Nam ubi unum ſucci dolium jacet,ibi octo frumenti dolia jacere deberent.

Multum etiam adjumenti ex hoc medio capiant tàm Magiſtratus quam ſubditi. Illi ab incolis tributi loco frumentum accipienti ſatisfieri poteſt. Hi medii hujus beneficio Magiſtratui ſatisfacere poſſunt, nec opus eſt, ut pecudes in ſtabulis vendant,pecuniam uſuris mutuentur, ac uxores & liberos oppignorent.

Nullus

Nullus autem alius labor requiritur, quàm ut à Magiſtratu locus ad coquendam cereviſiam deſtinetur, in quo frumentum in polentam redigatur, coquatur, & in ſuccos condenſetur. Lignum ipſe habet, ut ne nummum quidem ei coëmendo impendat.

Hoc medio igitur ad eum felicitatis gradum regio aliqua provehi poteſt, ut nec pecuniæ, nec annonæ, nec aliarum rerum neceſſariarum penuria unquam laborare cogatur. Nam quando ſucci ad maritimas tantum civitates deportari poſſunt, doliorum iis repletorum multa millia vendentur ejuſmodi Magiſtratibus & Mercatoribus, qui negotiationis in Orientalem & Occidentalem Indiam naves ſuas mittunt, in quibus quovis tempore etiam æſtate media, & ipſis diebus canicularibus, ſi lupulus & aqua in promptu fuerint, bonam cereviſiam coquere licebit, quod longè conſultius, commodius, & utilius eſt. Nam ubi unum hujus ſucci dolium jacebit, ibi octo doliis cereviſiæ locus concedendus eſſet, quæ nonnunquam aceſcit, & corrumpitur, quod his ſuccis nunquam contingit. Tales autem cereviſiæ ex ſuccis, lupuli atque aquæ beneficio paratæ, multo ſalubriores ſunt vulgaribus eò, quod ignis in ſuccorum decoctione omnes cruditates conſumpſit, aut correxit, quod conjicere & credere unicuique in proclivi eſt.

Huc accedit, quod hi ſucci etiam ſummo

cum quæſtu in ea loca mitti poſſint, in quibus ob magnam hominum multitudinem & frumentum & cerevſia in pretio habetur: ſicuti in Hollandia, & finitimis regionibus. Si cereviſiarum coctores talium ſuccorum participes fieri poſſent, tantis ſumptibus proculdubio cereviſias ſuas ex frumento non coquerent, cum nec tanto ad coquendum ſpatio, nec tantis ahenis, nec tot hominum operâ indigerent, quibus tamen omnibus in vulgarium cereviſiarum coctione ipſis opus eſt. In his ſuccis eſt parſimonia lignorum, quæ vulgaris cereviſiæ coctionem ſumptuoſiorem reddunt, & laboris, qui itidem majores impenſas poſtulat. Nec ſilentio prætereundum ingens illud commodum, quo frui poſſent, dum etiam in mediis diebus canicularibus ipſis optimam cereviſiam ſine ullo periculo coquere integrum eſſet, utpote quæ non aceſceret. Vnicuique enim innotuit, quid ſit coquere cereviſiam, quæ coctio etiam aliis temporibus ſatis negotii coctoribus faceſſit? ut ita eam inſtituant, quò aciditatis periculum cavere queant. Hæc noſtra autem coctio omni aciditatis diſcrimine vacat, cum aliàs in colando per reſiduas ſiliquas aut in vaſe refrigeratorio ſtantes illæ vulgares æſtivo tempore ut plurimum aceſcant: quibus laboribus coctio noſtra jam defuncta eſt, & quidem in ejuſmodi locis, ubi nec operarii, nec ligna, nec locus

ad

ad coquendum deſtinatus tot impenſas poſtulat.

Opus ergo hoc maximum emolumentum emptori & venditori præſtat. Huic frumentum ſuum tolerabili pretio vendere licet. Illi quovis anni tempore bonam & ſalubrem cereviſiam coquenti impenſis aliis non opus eſt, niſi iis, quæ in unum hominem inſumendæ, qui ſuccos & lupulum atque aquam ad coquendum præparet, ad fermentationem promoveat, & doliis infundat: cum è contrario in vulgaribus cereviſiis coquendis, pluribus hominibus, grandioribus ahenis, & labris ligneis, ut & ſpacioſo ad coquendum loco, plurimoque igne in ejuſmodi regionibus admodum caro indigeret, quibus omnibus dictorum ſuccorum coctio neutiquam eget. Conſideretur quæſo, quàm inſigne & utile negotium hoc eſſet, ſi in magnis civitatibus, ac iis præſertim in locis, ubi ædium, lignorum, & laborum magna eſt caritas, ejuſmodi ſucci venales proſtarent: ut unuſquiſque pater-familiâs aliquot hujus ſucci dolia coëmeret, eos domi ſuæ in parvo aheno pro arbitrio aqua & lupulo ſolveret, in cereviſiam tam pinguem aut tam macram, tam amaram, aut tàm dulcem, ut ipſi placeret, mutaret: propriis ſuis doliis puris & mundis infuſam ſeponeret, toto anno cum ſuis eam biberet; &, ſi opus eſſet, ex ea medicas potiones & aromatitas ſuaves conficeret. An

non melius eſſet, quam ſi à coctoribus tales cereviſiæ accipiendæ eſſent, quæ nonnunquam aut nimis recentes: aut nimium veteres, ſæpè acidæ, impuræ, malè coctæ, & fœtentes, lupuli loco aloën, xanthium, juſquiamum, ſimilesque herbas recipiunt. Nam in locis quibusdam Coctores herbas ejuſmodi, ſimileſque res alias noxias lupuli loco ut cereviſiam amaram reddant, & turpis lucelli compotes fiant, in cereviſiis coquendis adhibere ſolent. Ideo omnes ii, qui his cereviſiis in potu utuntur, nunquam valetudine commoda uti ſolent, ac plærunque, cum primis in humidis, & aquoſis locis laborant ſcorbuto, morbo melancholico, qui frequenter oritur ex ejuſmodi cereviſiis, quæ interna corporis viſcera & præcipua membra obſtruunt, & tales morbos excitant. Noſtræ autem cereviſiæ ex ſuccis & lupulo probo paratæ, non ſolum tales morbos non excitant, ſed iiſdem etiam puritate & claritate ſua reſiſtunt, ac homines contrà eos tuentur: Præcipuè verò, cum ejuſmodi ſucci ex polentâ tali, quæ lignorum fumo non imbuitur, ſed in aere ſiccatur, parati in fermentatione ita tractantur ut omnes ſordes in fundum deſcendant, tunc ejuſmodi cereviſia comparatur, quæ ſalubritate & ſuavitate vina ſulphure infecta, aut in calce abundante terrâ nata ſuperant, Caput non gravant, ventos non excitant, aliarum cereviſiarum more corpus non inflant,

urinam

urinam non remorantur, ſed promovent, ac tandem alvum laxam conſervant. Sine herbarum medicinalium adjectione medicinales, ſuaves, & ſalubres ſunt, & optime ſapiunt, quarum ſimiles ſine hoc medio coqui nequeunt.

Talibus cereviſiis laus ſua debetur adeò ut plures invenirentur, qui cereviſiam ſæpè biberent, ſi talem nanciſci poſſent: turbulenta autem, inſalubria, & ſulphurata vina omitterent. Ego cereviſiis ejuſmodi cum vino bono domi meæ ad alendam familiam meam utar.

Multò plura de talibus cereviſiis ſcribere poſſem ſi tempus mihi illud permitteret, ſatis multa hactenus dixi. Cætera quæ hîc ſcripta non extant ex deſcriptis peti poſſunt. Nullus dubito, quin boni Patres familiâs hoc negotio ſuſcepto ſuccos paraturi, & in ejuſmodi loca miſſuri ſunt, in quibus divenditi navibus onerariis in longè diſſitas regiones evehi & regionibus frumento plenis ingentem pecuniæ vim remittere queant.

Cereviſiarum Coctores in civitatibus magnis tantum artificium etiam non repudiabunt, ſed ſuccos tales ſoluto debito pretio ſibi comparabunt.

Principes, & Magnates, ac Civitates magnæ ejuſmodi ſuccos ingenti copia quoque parabunt, ut in ſuis munimentis, & ædificiis annonam cuſtodientibus tanquam theſaurum

 ſeponant,

ſeponant, ut neceſſitatis tempore inde depromi poſſit. Nec boni patres-familiâs de iis ſibi proſpicere negligent, ut annonæ difficultate ingruente ſe & ſuos iis ſuſtentare valeant.

In bellis Duces ſummi, aliique militiæ præfecti iis conquirendis ſtudebunt, in caſtris ſecum vehent, aqua eos laxabunt, & in bonam cereviſiam mutabunt; aquam, quæ ubique invenitur ſecum ut vehant non opus eſt, & lupulum facilè comparare poſſunt. Magnum igitur caſtris militaribus commodum ab hoc artificio conferetur, ut & munimentis, quæ obſidionem aliquam metuunt. In ſumma verbis deſcribi non poteſt utilitas, quæ tàm pacis quàm belli tempore ex his ſuccis in quævis loca redundabit.

Hinc meritò, quivis Magiſtratus, cui ſubditorum ſalus, & incolumitas curæ eſt, ejuſmodi ſuccos parandos, ut neceſſitate poſtulante in uſum adhiberi poſſint, ſummo ſtudio curabit.

Poſſet hîc aliquis objiciendo dicere, Artificium hoc bonum & emolumento futurum equidem video & animadverto, ſed unuſquiſque ahena ad hoc opus perficiendum neceſſaria ſibi tàm facile non comparabit. Ei reſpondeo: Non opus eſſe, ut unuſquiſque illud ad manus ſumat. Si in quavis urbe unus tantum fuerit, qui eodem occupatus, vicinorum ſuorum frumentum emat, & ipſis de pecunia proſpiciat

ſpiciat, ſufficiet. Si alii eidem incubuerint, plus pecuniæ lucrabuntur & majoribus divitiis regionem locupletabunt; nec eſt, quod aliquis vereatur aut dubitet, ſi octo millia doliorum frumenti in mille ejuſmodi ſuccorum dolia condenſatos in civitates maritimas attulerit, num parata & præſente pecunia mille illa dolia venditurus ſit? An mille dolia in populoſâ aliquâ urbe, in quâ cereviſiæ aliquot mille dolia quotidiè ebibuntur, ſufficient? Etiam quis multa doliorum millia in ejuſmodi urbe venditioni exponat, diu ibi non moraturus, ſed pecunia oneratus abiturus eſſet ab eis, qui ex ejuſmodi ſuccis cereviſiam conficiendi artem ſcirent.

Equidem opinor, melius omninò eſſe, ut frumentum tali modo divenditum, lucrum pariat, quam ſitu pereat, quod coràm Deo magnum peccatum & coràm hominibus turpe dedecus eſſet.

Porrò objici, & dici poſſet, Si artificium hoc cereviſiam conficiendi in iis locis inſtituendum eſſet, in quibus Magiſtratibus tributum certum pro quovis dolio pendi ſolet, non admiſſum illud iri, eo quod hac ratione Magiſtratuum tributa & reditus minui poſſint. Sed facilè huic incommodo obviam procedetur, ſi Magiſtratus tributum illud cereviſiæ impoſitum ſuccis imponet. Nam hoc pacto tributa nequaquam minuentur, ſed eadem ratione ex

ſuccis ad eos redirent æquè luculenta, atque ex cereviſia provenerunt. Idem de ſuccis ex vino condenſatis intelligendum eſt.

Hinc unicuique facilè patet, nemini ex his ſuccis aliquid detrimenti importari, ſed infinitas utilitates & commoda oriri poſſe. Ideò uniuſcujuſque Magiſtratus eſſet, ſubditos ſuos ſerio ſtudio adigere, ut ex frumento ſuo, quod vendere non poſſunt, ejuſmodi ſuccos conficiant, & ejus loco divitias ſibi acquirant. Hoc profectò longè ſatius eſſet, ac longè utilius ejuſmodi ſubditis, quorum haud pauci cum paupertate confligantes miſeri & nudi incedunt, ac omnium rerum penuria laborant. Nullius rei defectus profectò animadverteretur, ſed æquè ſubditi ac Magiſtratus ſatis haberent. Eâ de causâ in hoc artificio manifeſtando, & patefaciendo lubens hanc moleſtiam, & hunc laborem ſubivi. Ac quamvis à nemine pro tantæ rei manifeſtatione ullum præmium mihi expectandum ſit, (ingratus enim hic mundus eſt) voluntati divinæ tamen parui, & dilectione Chriſtiana proximum meum proſecutus eidem benefeci, ac hoc in beneficio acquieſcens nullus dubito, quin Deus omnis boni compenſator hoc meum beneficium mundo exhibitum alio in loco compenſaturus ſit.

Hoc etiam quaſi vaticinio meo præmonere poſſum, ſi hujus meæ ſalutaris doctrinæ & admonitionis ratio habita fuerit, quod breviſſimo tempore

tempore plurimæ regiones priſtinam felicitatem recuperaturæ, & ſummi ac imi in proſpero ſtatu verſaturi ſint; Inprimis verò illi, qui primi hoc negotium, antequam vulgare evadat, ſuſceperint, magnos theſauros congregabunt. Quicumque verò hujus medii beneficio & auxilio divinam benedictionem acquiſiverint, ne pauperum obliviſcantur, ſed benedictionem illam in Dei honorem in miſerarum viduarum, orphanorumque refocillationem, & ſolatium inſumant & impendant. Nam theſauri & divitiæ in hac temporali vita inter pauperes diſtributæ nullibi melius collocari & conſervari poſſunt. Ita enim non verendum, ne à furibus & latronibus dicipiantur: In futura autem vitâ decuplo præmio compenſabuntur.

CAPUT TERTIUM.

De Vegetabilium Concentratione.

QUo pacto vinum & frumentum artificioſâ condenſatione in anguſtum cogenda, & ad quæſtuoſam negotiationem deducenda ſint, in præcedentibus duobus capitibus docuimus. Reſtat, ut jam viam monſtremus ducentem ad condenſationem virium in herbis, dumis, fruticibus & arboribus latitantium, quæ vegetabilia in plurimis locis copioſiſſimè naſcun-

tur, & nullam utilitatem afferunt: ut ex iis perinde ac ex vino & frumento utilitas maxima percipi queat. Neminem autem fugit, nullam rem viliorem & indigniorem eſſe, gramine campos obſidente, dumis, fruticibus, & arboribus proceris, præcipuè cum ab hominum domiciliis remotiores ad uſum aliquem adhiberi nequeunt, eaque de cauſa pro nihilo habentur, ac ob nimiam diſtantiam nemini proſunt, ſed in vaſtis ſylvis, lociſque deſertis naſcendo intereunt. Videre hoc eſt in nemoribus & ſylvis Germaniæ vaſtiſſimis, quales ſunt Ingriones, Sylva Arduenna, Ottonica, Hercinia, Semana, & Bohemica, aliarumque regionum ſylvæ in quibus decuplò plus ligni putreſcit & perit, quàm ab hominibus uſurpatur.

Hactenus nemini innotuit, ad quem uſum ligna illa adhibenda ſint. Ad ædificia extruenda, focum excitandum, coquendum, pinſendum, & alias neceſſitates iis lignis mortales utuntur, quæ proximè civitates & pagos naſcentia non longè petenda ſunt, ità ut perpetuo uſu ligna ex proximis ſylvis petita quotannis uſurpentur, & locum non habeant, ubi putreſcere, & ſitu perire poſſint.

Sed ligna illa in locis ab hominibus longo intervallo diſſitis, & montibus & ſylvis, quæ non frequentantur, nemini uſum aliquem præbent. Latibula ſunt crudelium ferarum, urſorum videlicet luporumque: quæ animalia alias utiles

utiles beſtias, ut cervos, cervas, apros, porcos, oves, &c. damno afficiunt, & impediunt, quo minus ſylveſtribus fructibus fruantur. Sed quis emendabit, & ad debitum uſum revocabit? An tàm vaſtæ ſylvæ latibula immanium illarum ferarum deſtruendi gratiâ cædendæ ſunt, ut putreſcentes pereant, aut incendio deleantur? Nemo hoc faciet, laborem reformidans, qui ad hoc efficiendum requiritur. Et quia præter ferarum iſtarum extirpationem nihil aliud utilitatis & commodi inde expectandum, nemo etiam iſto labore ſe onerabit. Nec conſultum quoque eſt, tàm immanibus ſylvis ignem ſubjicere & eaſdem incendio delere, ut olim factum eſſe ex hiſtoriis patet, quod ſylvæ maximæ inſecta & alias noxias feras, ac beſtias delendi cauſa incenſæ ſint. Res periculo non caret, cum incendium ejuſmodi latius ſerpere & maximum damnum inferre poſſunt. Exempla in promptu ſunt, quæ teſtantur, ignem in eryceta immiſſum etiam in ſylvas erupiſſe, iiſque conſumptis maximo damno vicinas affeciſſe. Itaque incendio ſylvas conſumere conſultum non eſt. Cædendo ad putredinem ut reducantur, & extirpentur propter ingentes ſumptus fieri non poteſt. Neceſſe igitur eſt, ut ferarum ac animalium noxiorum, latronumque latibula maneant. Nam quanquam in ejuſmodi locis nonnunquam vitriarii ædificia ſua conſtruunt, vitris conflandis tamen tantum ligni

non

Nec ipſi metallorum conflatores ſine omni diſcrimine ligna uſurpant, nec ex quovis ligno carbones ſuos conficiunt, ſed frutices & dumos ad carbones ineptos omittunt. Grandes ergo & immanes illæ ſylvæ, (quamvis multis in locis fabricæ aut tabernæ vitriariæ, & ærariæ erigantur) intactæ manent, utpote quibus nemo uti novit.

Quoniam igitur ego vitæ meæ tempore toto accuratiſſimâ obſervatione Dei miracula inſpexi, & in Naturæ ſecretis mirabilibus nulli labori, nullis ſumptibus peperci, atque ipſa natura magiſtra me erudiente didici, Deum verum & juſtum patrem-familiâs ſine certis & juſtis cauſis nihil agere, nihil facere, nihil creare, quod tamen nobis hominibus maximam partem beſtias irrationales imitantibus, & ſine Dei & operum ejus cognitione in diem viventibus perinde eſt. Planè non conſiderantes, homines ad longe alium finem, quàm bruta omni ratione carentia, à Deo deſtinatos & creatos eſſe, ſententiæ veteris, Deus & Natura nil fruſtrà faciunt, omnino nullam rationem habemus.

Quandoquidem hoc cum veritate congruit, (uti etiam revera ità ſe habet) profectò videmus, immanes ſylvas fruſtrà non adeſſe, ſed aliquam utilitatem habere, uti etiam habent: theſaurum nempè maximum pro iis, qui eum noverunt, & eo uti ſciunt. Quod ſole meridiano

clarius

clarius demonſtrabo, ac cœco, & tenebris obducto mundo ità ob oculos ponam, ut Naturalis philoſophiæ ex ſolo igne, & non ex Ariſtotele addiſcendæ Riſores & contemptores, ſive velint, ſive nolint, tamen ignem verum omnium naturalium artium doctorem & magiſtrum eſſe, & manere, confiteri & concedere cogantur. Quibuſcunque enim ignis ignotus, & efficacia ejus mirabilis incognita eſt, ii, licet peregrinarum linguarum, (quæ in ſecretiori Philoſophia nihil ad rem faciunt) peritiſſimi ſint, ne minimum tamen in tanti momenti rebus efficient, aut præſtabunt. Ideò dico, tales homines, qui naturalium rerum periti ſunt, jure ac meritò non contemnendos, aut clàm dente Theonino rodendos eſſe ab iis, qui dicunt; ejuſmodi homini, qui in Academiis inanem Doctoris titulum non conſequutus eſt, fidem non habendam eſſe. Equidem lubens fateor, me Academias nunquam frequentaſſe, nec unquam frequentare voluiſſe. Si enim feciſſem, nunquam forſan ad hanc Naturæ cognitionem, quam jam poſſideo, (abſit jactantia verbis) perveniſſem. Nec me etiam unquam pœnitet, quod in carbones manus immiſerim, & eorum auxilio in ſecretorum Naturæ cognitionem penetraverim. Neminem ex ſuo loco deturbare cupio. Magnatum pane nunquam ſuſtentari volui, ſed propriis manibus mihi victum & amictum comparavi, probe ſemper

perpen-

perpendens verſum notiſſimum: ALTERIUS NON SIT, QUI SUUS ESSE POTEST. Maneat quiſque in conditione ſua, in qua verſatur; clam ipſum non carpam, non criminabor, non calumniis proſcindam, quanquam etiam ab ipſo tam turpi actione anteà provocatus. Res ipſa doceat neceſſe eſt, opus operatori laudem conciliet oportet: Faceſſant hinc ſophiſtica garrulitas, phalerata dicta, & veſtes ſuperbæ; cuncta hæc fœminis conveniunt, non Philoſophis veris.

Quid verbis opus eſt. Vetus proverbium à veritate nunquam aberrat: Ars non habet oſorem, niſi ignorantem. Vicinus vicino proſperitatem ſuam invidet, figulus figulum odit. Si quis panis fruſto alteri ſuperior eſt, limis mox oculis aſpicitur. Omnium conditionum, omnium Ordinum hominibus hoc familiare & ſolenne eſt. Hoc curriculo conſueto corruptus mundus ad finem properat, cui emendando & corrigendo neque ego neque quiſquam alius remedium adhibebit. In ſuo ſtatu ergo relinquendus.

Ut ad lignorum concentrationem meam redeam, verè affirmare poſſum, quod etiam reipſa demonſtrabo, quod in vili & abjecto ligno maximus mundi theſaurus, imo tantus, aut etiam major, quàm in vino aut frumento repoſitus & occultus ſit. Vinum & frumentum labore & manibus humanis accedentibus

è terrâ naſcuntur: folia, gramen, dumi, frutices, virgulta, omnis generis arbores parvæ & magnæ, ſine omni cultura humana, ex ſeminibus, & ſurculis ſuis prodeunt, creſcunt, ac in infinitum ſe augent. Ideò dico, quod plus utilitatis ex lignis, quàm ex frumento & vino percipi poſſit, ſi modò utilitatem tantam ex eo eliciendi ars alicui nota fuerit.

Quandoquidem igitur hic libellus tanquam prima pars tractatus de concentratione rerum, de ſola vegetabilium emendatione agit, & jam vinum & frumentum expeditum eſt. In nomine Domini lignum, folia, & gramen aggrediar, & maximos, ac hactenus occultos theſauros & divitias detegam, & totius Mundi oculis ſubjiciam. Omnipotens, Sapiens, imperſcrutabilis & miſericors Deus & Pater omnium in cœlo, terra, aqua, & aëre creaturarum ita regat ac gubernet manum meam, ut nihil hîc ſcribam & doceam, niſi ea, quæ divini Nominis gloriæ & omnium hominum ſaluti inſerviant. Amen.

In duobus præcedentibus capitibus monſtratum eſt, quomodo vinum & frumentum in ſuccos ſuos cogenda, & condenſanda ſint, ut commodè in ea loca mittuntur, in quibus lucrum parere poſſint.

Incidit hic quæſtio, quomodo ex herbis, virgultis, fruticibus & arboribus magnis ſucci exprimendi ſint, & expreſſi cui bono ſint, cum

neque

neque pro cibo & potu uſurpentur, ut ii qui ex frumento & vino eliciuntur.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, nullum quidem ex iis cibum parari, ſed tamen res alias, quibus homines carere non poſſunt: Medicamenta nimirum ſalutaria, ut & aurum, & argentum, quibus præter vinum & frumentum etiam veſtes neceſſarias, & reliqua, quorum homines præter cibum & potum indigent, comparare licet: Ità, ut nullius rei defectu homines affligantur, benignus Deus tàm abundanter & ſapienter egenis ſuis liberis omnia largitus eſt. Quare jure ac meritò divinæ benignitati pro clementi ac paterna curâ perpetuæ laudes attribuendæ, & tàm ingrato animo maximæ dotes, & infinita munera, quæ nobis indignis & tanta dona non merentibus ſine ullo perſonarum reſpectu quotidiè largitur, indignè non accipiendæ, inutiliter prodigendæ & turpiter corrumpendæ non eſſent.

Opus autem ipſum ut incipiam, primo docendus eſſet modus, quo ex foliis, gramine, fruticibus ſucci exprimendi forent, ac poſtea eorum uſus monſtrandus. Sed quia nemo mentis adeo impos invenietur, qui pecuniam, aut res pretio dignas, laboremque & ſudorem ei rei impendere vellet, cujus uſum & utilitatem ignoraret, neceſſe eſt, antequam ſuccos exprimendi modus doceatur, ut prius indicetur, quænam utilitas ex ejuſmodi opere proficiſcatur,

ne labor in caſſum abeat, ut ſatisfaciam, affirmo, omnium vegetabilium maximas & optimas vires occultas eſſe in ſale quodam, quod Sal Eſſentiale Medici & Philoſophi appellitant. Hujus omnia vegetabilia ſunt plena; unum tamen plenius altero, quod experientia teſtatur. Herbæ non multum ſaporis habentes, ut ſunt lactuca, braſſicum, rapæ, aliæque ſimiles, eo minus abundant, cum facile putredine corrumpantur. Acres verò, & linguam mordentes, ut Ar, Perſicaria, laureola ſive Daphmoides, Piperitis, cochlearia, omnes naſturtiorum ſpecies, raphani omnis generis, cæpe, porrum, allium, ſinapi, & ſimiles; ut & omnes herbæ amaræ, Carduus benedictus, Abſynthium, fumaria, Eſula &c. eo repleta ſunt. Multum etiam iſtius ſalis dabunt omnes plantæ vegetabiles, quæ aciditate à natura præditæ ſunt. In earum numero habentur immaturæ uvæ, poma acida, ceraſa acida, pruna ſylveſtria, uvæ criſpæ, mora rubi ſimplicis, & Idæi immatura, berberis fructus immaturi, &c. una tamen ſemper plus, alia minus ſalii exhibebit, quæ mutatio, & inæqualitas accidentalis eſt, cum omnes in naturæ fundamento ſibi ſimiles ſint.

NB. Nonnullæ herbæ atque eæ præcipuè quæ amaritudine inſigni pollent, ut Carduus Benedictus, Abſynthium, fumaria, poſt expreſſionem quando ſuccus eſt depuratus, phlegma abſtractum, & reſiduus ſuccus in frigido con-

concretus, nitrum naturale exhibent, quod prunæ impoſitum è veſtigio flammam concipit inſtar Salispetræ ex terrâ in ſtabulis pecudum aut pecorum effoſſa extracti, & concreti. Aliæ herbæ & fructus amaritudinem non habentes, ſed penetrantem acrimoniam poſſidentes, ut omnia naſturtia poſt expreſſionem ſalem præbent volatilem, qui non ardet, ut ille qui ex amaris herbis elicitur, quibus aciditas ineſt, ut acetoſa, berberis, ribes, uvæ criſpæ, domeſtica & ſylveſtria poma, aliique fructus immaturi, ſalem dabunt alium, nempe acidum vini ſaporem habentem & guſtu, virtute efficacia, & proprietate vini tartaro reſpondentem.

Quamvis autem tres hæ ſalium ſpecies guſtu diſſimiles ſint, unus tamen in alium facilimè mutabitur, ita ut tartarus Salpetræ, & hic viceverſa tartarus fiat. Tertius volatilitate cæteros ſuperans, qui ex naſturtiis, ſynapi, aro, piperitide, &c. prodit. facile in alterutrum priorum convertetur.

Quantum ad hunc poſtremum attinet, in medicina virtutes ſuas exerit, ut paſſim in cæteris meis ſcriptis ſignificavi, ſed extra medicinam parum utilitatis confert. Duo poſteriores nitroſus puta, & tartareus multiplicis ſunt uſus. Tartaro in pannis tingendis tinctores utuntur. Salpetræ ad pulverem pyrium, & metallorum tranſmutationem, aliaſque ejuſmodi artes adhibetur, quod in Miraculi Mundi

explicatione mea dilucidè probavi. Quoniam igitur uterque Sal in maxima copia per totum mundum uſurpatur, & tantum vix parari poteſt, quantum neceſſario uſui ſufficit, eaque de cauſa ſemper in pretio habetur, ac in primis Salpetræ duplo pluris quam tartarus conſtet, jure ac merito elaborandum erit, ut ex herbarum & lignorum ſuccis Salpetræ eliciatur, utpote qui cæteris Salibus pluris venditur. Si autem Salispetræ tanta adeſſet copia, ut in vilitatem pretii abiret, ſucci in tartarum convertendi eſſent. Quandoquidem verò haud facile uſu veniet, ut Saliſpetræ vilitas aliqua exiſtere poſſit, ſatius erit, ut ei conficiendo ſucci impendantur, præſertim cum etiam quovis tempore metallis cum fructu emendandis inſervire, & nunquam ejus tanta copia produci queat, ut quandoque vendi non poſſit. Utilius & melius etiam ad metallorum minorum emendationem adhibetur, quàm ad pulverem pyrium, cujus conficiendi ars peſſima niſi jam pervulgata eſſet, eo carere ſatius eſſet, quam ipſum conficere, tantum abeſt, ut modus pulverem pyrium parandi deſcribendus eſſet.

Quia verò ſtudium & voluntas mea eò non fertur, ut alicui Salispetræ adjumento calamitatem proximo inferendi, anſam præbeam; ſed potius eò tendit, ut proximi commodum eodem quæratur, quo fine jam in Miraculo Mundi, & ejuſdem explicatione multas utiliſſimas artes

ex eo proficiſcentes ſatis dilucidè detexi, & porrò in emendatione & concentratione metallorum, ſequente hujus libri tertiâ & quarta patre, deſcribendâ, facturus ſum; fore profecto confido, ut nemo in ſequiorem partem ſit interpretaturus, ſi ſalempetræ ex lignis & aliis rebus eliciendi occaſionem obtulero: Ut ità primo herbarum, graminis & lignorum, quæ ſitu peſſum enuntia nemini aliquid commodi conferunt, beneficio, (ſi tantum vendatur,) patria ditiſſimo theſauro locupletetur, & poſtea plurimis utiliſſimis artibus (ut in Miraculo Mundi, & mineralium ac metallorum concentratione videre eſt) impendatur. Hinc qui nolet, pulverem pyrium ex eo conficere opus non habet.

Præter has enumeratas ſalispetræ virtutes quotidie magis ac magis novæ & admirandæ ex tenebris emergunt, quæ, ſi hic omnes enumerandæ eſſent, totum mundum in ſummam admirationem raperent. Sed pluribus de tantis rebus verbis faciendis ſuperſedebimus. Nam ex hactenus demonſtratis, & editionibus meis juris publici factis facili negotio perſpici poteſt, quod plura alia & majora mihi & aliis incognita in hoc ſubjecto lateant.

Jure ac merito igitur Salpetræ ſive nitrum, (rumpantur ilia Momo, & omnibus aſininis riſoribus) Subjectum univerſale, & Miraculum Miraculorum nominari debet. Ac quamvis

imperitorum & rudium haud pauci hâc de cauſâ nares corrugarint, & mihi contradicere auſi ſint, verum Univerſale & ſolvens univerſale nitrum non eſſe: Ignorantiæ fratres tamen cum nihil didicerint, nihil etiam oblivioni tradiderunt, aç Salpetræ ipſis perinde novum ac incognitum eſt animal ac ſi ante annum demum ex Africâ ad nos delatum eſſet. Naſutis illis ardelionibus chartas luſorias, & talos, atque diſcrimen inter generoſum & vile vinum notius & familiarius eſſe opinor, quam Salispetræ occulta natura, & incognitæ vires, à quarum judicio ipſos arcet vulgare dicterium: Ne ſutor ultra crepidam. Apertè ipſis & in faciem, non autem clàm & à tergo, quod ipſi faciunt, dico: ſi quid habent quod opponant, ſcriptis mandent, & in lucem prodeant, ac ſciant, mihi ſatis virium ſuppetere, ut meis in natura fundatis ſcriptis patrociner, & ſophiſticas ipſorum cavillationes refellam. Si Nitrum univerſale illud ſubjectum non eſſet, illi, qui ſententiæ noſtræ oggannit, aliud & melius producendum eſſet, quod tamen mea opinione nunquam præſtabit. Si Subjectum univerſale non eſſet, quî tam copiosè in omnibus rebus inveniretur. Annon reperitur in omnibus vegetabilibus? Annon ineſt omnibus animalibus tàm ſub terra, quàm in aquis, tàm in aëre, quàm ſupra terram degentibus? Annon in intimis montium viſceribus, ipſiſque duriſſimis lapidibus

dibus occurrit? Clariſſimis argumentis illud hoc tractatulo demonſtrabo, & evidentiſſimè evincam. Quod primo omnia vegetabilia ipſum poſſideant, jam clarè demonſtratum & probatum eſt, dum eorum ſuccos naturalem Salispetræ edere, indicium primus feci. Sed tàm evidenter jam hujus rei veritatem oſtendam, ut etiam quaſi manibus cœci illi vitiligatores & obtrectatores palpaverint. Quæro itaque, unde commune nitrum petatur? Annon ex terra, quæ in animalium ſtabulis eruitur? In hanc longo temporis progreſſu ab animalium excrementis diſcedens ſe inſinuavit, & in ea coagulavit, ex quâ tandem aquis affuſis elicitur, & in Salempetræ decoctum concreſcit. Num quis hæc negabit? Nullus opinor. Si igitur hoc conceditur, quod nitrum in pecorum & pecudum ſtabulis reperiatur, quæſtio eſt, quo pacto, quâ viâ in ſtabula venerit? Urinæ nimirum, & excrementorum, quæ animalia ibi exonerarunt, beneficio. Iterum quæritur, nûm animalia iſta hæc excrementa aliunde, an verò ex cibo & potu habeant? Ex aquâ oriri non poſſunt, cum præter aquam aliud quid non bibant. Ex cibo ergo ortum habeant neceſſe eſt, qui ex vegetabilibus, gramine puta & herbis conſtat. In his ergo Salempetræ, prius quàm iis beſtiæ veſcerentur, neceſſariò fuiſſe aſſeremus. Nam ſi ibi non fuiſſet, in animalium corporibus nunquam id

ſieri potuiſſet, quod antea non fuit. Horum enim ſtomachi præter putrefactionem ſolam nihil aliud ad hanc operationem conferunt. Idem faciunt ruſtici ſtraminis, graminis, foliorum ab arboribus decidentium aliarumque ſimilium rerum copiam ingentem in foveam congerentes, & ibi tamdiu relinquentes uſque dum putrefactionis adjumento in fimum converſa cuncta fuerint, ut iiſdem poſtea agros ſuos ſtercorent, quod animalium excrementis vulgò fieri ſolet. Quandoquidem igitur putrefacta illa gramina & ſtramina inſtar excrementorum ab animalibus profectorum rura ſtercorant,& fertilia reddunt, etiam in ipſis ſalempetræ eſſe concedendum eſt. Non enim fimus,ſed nitrum in fimo ſtercorationis, & fertilitatis iſtius author eſt, ut jam in Miraculo Mundi argumentis confirmavi, quod & hic ſuam authoritatem retinere debet. Videre ergo deſiderarem illum, qui tàm audacter, & tam temerariè hoc negare auderet, quod Sal eſſentialis nitrum non ſit, aut fieri nequeat.

Jam nos ad animalia in campis, piſces in aquis, & aves in aëre convertamus, ut omnes has ſpecies excutiendo videamus, an etiam Salepetræ ditatæ ſint, & an ſal ipſarum Eſſentialis Vegetabilium ſali eſſentiali ſimilis ſit,& eodem pacto in nitrum abire queat.

Primò & antè omnia hîc valere & locum habere debet, quod omnia illa, quæ campos & agros,

agros ſtercorant, & pinguefaciunt, Salempetræ in ſe continere debeant. Ab hoc enim ſolo & unico cuncta fertilitas in omnem terram deſcendit, cui axiomati contradici non poteſt. Ejuſdem autem virtutis animalia, aves & piſces participes eſſe hinc firmiter colligo. Primò haud infrequens eſt, quod hortulani animalium cornua, ungulas & oſſa colligant, & arborum radicibus apponant, ac terra tegant, id propterea quod ſummam illis fertilitatem concilient. Hoc ubique locorum in uſu eſt. Hortulani Gallinarum pennas, gallinarum & columbarum fimum, ut & à cerdonibus & coriariis coriorum ramenta, ſeu pellium abraſas reliquias, & pilos ubique coëmunt, atque hortis ſuis pinguefaciendis adhibent. Vinitores in multis locis pectinum ramenta, ſi habere poſſunt, ſibi comparant, quibus vites longè melius quam fimo, & quidem in novem ac decem annos pingues reddunt. Hortulani etiam à ſartoribus pannorum & linteorum ſegmenta emunt, ut hortos braſſica conſitos ſtercorent. Si nullum nitrum aut nulla fertilitas in iis animadverteretur, cur pecuniam ſuam in materiam tàm vilem erogarent? Hæc inſciis & imperitis mira & incredibilia videri poſſent, quandoquidem non ubique ſtercoratio talis uſitata eſt. Qui hic incredulus eſt, Coloniam ad Rhenum abeat, ubi, me veritatem dixiſſe comperiet. His rebus omnibus

Hortulani ex antiqua conſuetudine utuntur, utpote qui à majoribus ſuis ſecreta hæc didicerunt. Nullam autem aliam rationem afferre ſciunt, quod hoc faciant, niſi quod, agros & vineas probe pinguefacere ſe poſſe dicant.

Ego verò firmiter aſſero, quod nitrum in iis rebus occultatum hoc faciat. Ineſt ergò in ſuperfluis animalium longè major Salispetræ vis, quàm in ipſorum Excrementis. Quod ita probo. Primo ſaccum limatis cornibus repletum dimidio imperiali redimunt, cum eadem pecunia quatuor aut quinque ejuſmodi ſaccos vaccarum ac ovium fimo plenos mercari poſſent. Secundo pluſquam imperialem coriariis pro uno curru coriorum ramenta continente ſolvunt, quo tamen tres aut quatuor fimi venales eſſent. Segmenta veſtium ſartores quarta imperialis parte vendunt. Si nulla virtute prædita eſſent, cur tanti conſtarent? Hoc, quod dictum eſt, ſolâ vulgarium hominum, ruſticorum puta, & hortulanorum conſuetudine ità probavimus. Si mihi revelare aliquid liceret, ex quolibet oſſium in animalibus, avibus & piſcibus centenario decem Salispetræ pondo erui poſſe docerem. Sed non divulgandum eſt.

Supereſt ut confirmemus, quod nitrum non modo in Vegetabilium & Animalium ſubjectis copioſiſſime lateat, ſed etiam ex lapidibus,

ſcopulis,rupibus, montiumque cavernis, ac in plurimis aliis locis ex plano campo effodiatur, & paretur,quod nemo inficias ibit,cum in propatulo ſit, & ego teſtimonii cauſa talium plurium mentionem facere poſſem, ſi opus eſſet. Qui de hoc Saleterræ plura cognoſcendi cupidus eſt, veteres Phyſicos conſulat. Sed quoniam non unicuique ejuſmodi libri ad manus ſunt,& plures eos intelligere non poſſunt,anectarii loco unam adhuc demonſtrationem adjungam, unde ſcilicet nitrum illud oriatur, quod in mediocribus & humidis ædibus muris antiquis adhæret, aut ex iis emergit. An non ex calce (lateribus coctis) cæmentariâ, quâ muri conjunguntur,procedat? Non ſolum omnes lapides calci faciendæ idonei, ſed etiam omnes ſpecies lapidum, quiſtiriarum inſtar apud aquas erumpunt, item lapidoſæ illæ res, quæ in mari naſcuntur, ut corallia, ut margaritarum conchæ, & omnis generis conchylia, quæ exuſta in aëre dilabuntur, copioſo nitro affluunt, & facile illud redderent iis, quibus eliciendi modus revelaretur. Sed huc non quadrat, quoniam de vegetabilium ſuccis exprimendis, concentrandis, & ad lucrum revocandis agere hic tantum conſtitui.

Siquidem hactenus intelleximus, ab omnibus rebus, herbis nimirum, lignis, quadrupedibus & reptilibus animalibus, avibus in aëre, & piſcibus in aquis, imo ab ipſis elementis terra,

terra, aqua, aëre & igne nitrum ſive Salem-petræ ſuppeditari, conſequens eſt, ut ſit Spiritus ille Univerſalis tàm decantatus, ſine quo nihil nec vivere nec eſſe poteſt. Genitor eſt, & deſtructor rerum omnium, in quo omnia ſunt ut in Miraculo Mundi ex antiquiſſimo Philoſopho Hermete demonſtravi. Ea igitur me ſpes tenet, neminem diutius de eo dubitaturum, aut veritati tam manifeſto cognitæ perversâ contumaciâ ſe oppoſiturum. Si brevitas mihi impedimento non eſſet, facilimè plures & prægnantiores rationes producerem. Si quis pertinaciæ ſuæ tenaciter adhæſerit, in eo docendo vel Hermes, ſi à mortuis reſurgeret, oleum & operam perderet. Suam ergo ſibi contumaciam habeant.

Argumentis ſatis multis, Salem petræ ſubjectum univerſale eſſe, & ubique reperiri, adſtruximus. Hinc facili negotio credi poterit, quod etiam in lignis offendatur & quidem fortior, potentior, magis corporalis, palpabilis, & viſibilis, quam in ullo alio Subjecto. Quare etiam in iis quærendus, & ex iis eruendus eſt. Sed quia ejuſmodi extractio prius fieri non poteſt, quàm ſucci ex lignis extorqueantur, ex quibus nitrum deinde eliciatur, tota ars in expreſſione ſuccorum aliâ tamen quàm apud herbas, viâ, conſiſtit. Ideò debitis prælis paratis illi qui ſine damno meo illud à me poſtulabit, expreſſionem monſtrare potero. Nam

in

in uniuſcujuſque conſpectum ut opus tanti momenti prodeat, tantorum ſecretorum indigni participes reddantur, ut tanti ponderis res vulgari abuſui obnoxia fiat, profecto nec neceſſarium, nec utile, nec laudabile eſt. Nemo ergò ægrè feret, quod tantarum rerum tàm ſolicitam rationem habeam. Sufficiat, quod rem detexerim, in qua tanti theſauri ſe occuluerunt, qui nemini quidem hactenus utiles, ſed comparatu ſunt faciles. Inſpiciantur tantum vaſtiſſimæ in Germania ſylvæ, quæ tantâ arborum multitudine refertæ ſunt, ut ligna penitus deſpiciantur. Nemo hactenus fuit, qui ea in uſum ſuum converterit, ſi paucos excipias, qui in nonnullis locis ex lignis combuſtis cineres clavellatos conficiunt, nec tamen multum inde commodi ſentiunt, quod tantâ copia non divendantur, quantâ quidem exuſtionis adjumento haberi poſſent, & non niſi à ſmegmatum coctoribus, ac tinctoribus uſurpentur. Præterea neminem adhuc vidi qui artificio iſti debitè vacaverit, illudque ita adminiſtraverit, ut ex eo majus lucrum ſentire potuiſſet. Nam ex decem aut viginti magnis arboribus combuſtis vix centum libræ cinerum clavellatorum nonnunquam collectæ ſunt, quarum prætium quinque vel ſex imperiales ægrè ſuperat. Si autem conſideretur, quantus labor, quantus ſudor tot lignis cumburendo in cineres mutandis, cineribus in nigrum ſalem deco-

quendis

quendis, & huic nigro ſali in peculiaribus fornacibus candefaciendo ut albus., viridis, aut cœruleus fiat, impendendus ſit, in admirationem quis rapiatur oportet, quid illos, qui hoc opus exercent, aut faciendum curant, ut tam exigui lucelli gratia tantam arborum copiam exurendam permittant, movere poſſit Sed quid verbis opus. Lignum gratis habent, meliuſque ovo vacuo dimidium eſt putamen, ut proverbiò dicitur. Si aliquid utilius & melius ex lignis ſuis conficere ſcirent, forſan non omitterent.

Quot lignorum centenarii ſunt ipſis comburendi, antequam unum clavellatorum cinerum conſequantur. Si verò ſucci ex iis expreſſi in Salempetræ excoquerentur, decuplo majori lucro, longè minore moleſtia ditarentur.

Rem ad computationis examen revocemus, & ponamus, quod ex centum ligni libris viginti libræ ſucci exprimantur, ex his viginti, quatuor aut quinque, libræ nitri evocentur, & mediocris quercus aut fagus fiſſis ſuis lignis decem plauſtra impleat, & quodvis plauſtrum viginti centenariis capiendis par eſſet. Iam ſi Centenarius quinque nitri libras dederit, plauſtrum viginti centenariorum centum nitri libras aut unum centenarium, arbor verò decem plauſtris impoſita etiam decem nitri centenarios exhibebit. Centenario jam pretium ſtatuamus viginti imperialium, qui decies multiplicati, ducentos offerent imperiales

riales pro decem plauſtris, aut pro unâ illa arbore in decem plauſtra diviſa.

Ut autem computatione noſtrâ tam accuratâ ſuperſedeamus & eam non nimium extendamus, ita dicemus: Ligni centenarius, tres tantum nitri libras, plauſtrum lignorum viginti centenarios comprehendens, Salis petræ ſexaginta libras, arbor decem lignorum plauſtra præbet, ergo eadem ſexcentas nitri libras præbebit. Si jam centenarius decem Imperialibus conſtiterit, arbor illa imperiales ſexaginta pro ſexcentis nitri libris, aut ſex centenariis conferet. Sumptus exigui laborem utiliorem reddunt. Imò ſi nitri pretium uſque ad decem imperiales hâc meâ inventione deſcenderet, quod tamen tam citò non continget, emolumentum tamen eſſet magnum, imò decuplo majus, quam quod ex cineribus clavellatis provenit. Qui verò nitrum ſuum ad metallorum concentrationem, de qua ſequentes hujus libri tres tractabunt, adhibere noverit, non erit cur timeat, ne ſine ullo fructu nitrum ſuum retinere cogatur.

Ex his Lector benevolus facilè perſpiciet, quanti theſauri ſæpius ante oculos verſentur, & ex ignorantia nondum cognoſcantur, ac ad emolumentum revocentur. Cui hominum manifeſtum eſt, in quem finem Deus myſteria & ſecreta Naturæ tanta in peſſimâ hac mundi fæce in lucem producat, quâ tamen re intelle-

ctum noſtrum non fatigabimus, ſed benigno Deo pro tantis myſteriis in multorum hominum ſolatium revelatis gratias ſubmiſſas agemus, eumque præcabimur, ut paternam ſuam benedictionem nobis ex gratia largiatur, quo tantis donis rectè collocatis benè utamur.

Si qui verò eâ opinione imbuti eſſent, planè non neceſſarium eſſe, ut artificium hoc palàm fiat, eò quod ex Salepetræ pulvis pyrius conficiatur, pulvere autem pyrio multæ urbes & munimenta fortiſſima evertantur, & nil niſi cædes & incendia expectanda ſint: Ii hoc reſponſi habeant, me hanc artem maximam & utiliſſimam eo fine non detexiſſe, ut peſſimo ejus abuſui ad horrendas calamitates ancillarer, ſed eò reſpexiſſe, ſi forſan Patriam noſtram chariſſimam novi hoſtes externi (à quo periculo haud longè abeſſe videmur) adorirentur, ut paribus armis eos excipere, & calamitatem juſta defenſione à nobis amoliri queamus.

Ut etiam denſiſſimæ & vaſtiſſimæ ſylvæ fruticosâ ſuâ denſitate ſpoliatæ, furibus & latronibus, ut & feris multum damni ſæpè inferentibus latibula in poſterum non præbeant.

Ut itidem multa hominum millia commodius & facilius de victu & amictu ſibi proſpiciant, & ex inutili ligno bonum aurum & argentum faciant. Hujus enim artis adjumento multa nummorum millia in Germaniæ noſtræ regionibus, ſine ullo proximi noſtri in-

commodo

commodo comparari & acquiri poſſent. Nec ulli grandi arbori ſecurim admovere opus eſſet, cum ſuperflui rami, dumi, & frutices inter arbores ubique feris, & præcipuè cervis tranſitum præhibentes, & noxiis cæteris latibula præbentes huic artificio excercendo ſufficiant. Cæteræ arbores in altum ſurgentes ædificandarum ædium & venationum exercendarum causâ conſervari poſſunt. Denſitate autem illa liberatæ arbores, aëre commodius hauſto, facilius ramos explicarent, & vertices altius extollerent. Feræ etiam utiles, demptâ fruticum multitudine tantâ, pinguiora pabula, & gramen frequentius offenderent, & liberiore curſu inſectantes lupos evaderent, quod quo minus facere poſſint dumis & fruticibus illis denſiſſimis impediuntur. Si porrò in ejuſmodi locis, in quibus tanta lignorum congeries nullius hominis uſui inſerviens aſſurgit, grandium arborum bona pars etiam excideretur, & ad hoc artificium noſtrum adhiberetur, nihil tamen inde incommodi, ſed multum commodi in poſſeſſores redundaret, & arborum copia maxima adhuc ſupereſſet. Conſiderentur, quæſo ſylvæ illæ ſpacioſiſſimæ, Arduenna, Ottonica, Semana, Bohemica, aliæque plures, quibus Regiones in Germania veſtitæ ſunt. Num animadverti poterit, quod vitris conflandis, & mineralibus aut metallis liquandis ulla ratione minuantur. Loca excisis arboribus uno anno nudata providæ naturæ beneficio ſequentibus annis mox ſe tecta novis arbori-

boribus vident, adeò ut fieri neutiquam poſſit, quamvis vel maxima prælorum ad ſuccos exprimendos copia adhiberetur, ut tantæ ſylvarum vaſtitudines exhaurirentur, & ſenſibilem lignorum jacturam facerent.

Quod in præcedentibus dixi, hic repeto; Inſigne & magnū quid conſtituiſſe Deum Opt. Max. quod nobis maxima media ſuppeditet, Forſan tempus erit, quo iis opus habituri ſimus. Veterū, & hodiernū ſcriptorū libri & hiſtoriæ inſpiciantur; Ex iis innoteſcet, maximam annonæ difficultatem plærumque eiuſdem vilitati ſucceſſiſſe. Benignus Deus paucos illos pios qui adhuc ſub ingenti impiorum multitudine latitant, quaſi admonere videtur ut tantæ ſuorum donorum largitatis occaſione in futurum tempus de neceſſariis rebus ſibi proſpiciant. Rerum copia maxima earundem penuriæ certiſſimum omen eſt.

Exempla notiſſima & frequentiſſima in medium producere quid opus eſt? Ideo vini, frumenti, & ligni concentrationem, ut Germaniæ Patriæ meæ, ut futuræ penuriæ, quæ facile eam, quod Deus avertat, obruere poſſet, optimè conſulam, deſcribere coactus ſum. In quamcunque partem accipiatur, conſcientiam meam liberavi, & à Deo conceſſum mihi talentum non defodi ſed illud divino mandato parens, in proximi mei commodum ex ingenioli mei ſcrinio depromſi. Sed vereor, ut fructuoſum futurum ſit, cum Germania jam nimia ſecuritate ſepulta jaceat.

ceat. Vix credibile eſt mortalibus hodiernis, ignem calidum eſſe & urere, niſi ſentiant. Nimis ſera natatione evadere conatur, cujus labia jam aqua tangit, & membris ſpaſmus rigorem conciliat. In tempore igitur aqua & ignis fugienda aut defenſione aliqua præcavenda potius, quam ut in iis petulanti & inconſulta temeritate pereundum ſit.

Admonitionem meam tàm fidelem tandem aliquando locum inventuram, & cordi futuram ſcio; Si modo non nimis ſerò fiat, & proverbia hìc vera comperiantur: Serò ſapiunt Phryges: Sera in fundo parſimonia eſt. Hoc me ſolatur, quod debito & mandato munere functus ſim.

Si quis jam hiſce meis ſcriptis fidem adhibuerit, & præſcripto modo vini, aut frumenti, aut ligni concentrationem inſtituerit, illi ſanctè affirmo me ſine omni ullius rei diſſimulatione veritatem ipſam in hoc libello apertè profeſſum eſſe, & nihil aliud præter prælorum revelationem ob certas cauſas omiſiſſe. Nam ſi etiam hoc ipſum manifeſtaſſem, ars tanta æquè inimicis atque amicis meis innoteſcere potuiſſet, quod certe mihi non conſultum fuiſſet. Nam antehac benefactis meis ſatis inimicorum, & ſatis inimicitiæ mihi conflavi, Quo majoribus beneficiis nonnullos affeci, eò majus in odium ipſorum incurri. Præter alios, quorum nomina jam ſilentio certis de cauſis involvenda duxi, id fecerunt impiiſſimus ille Farnerus, & famulus meus Anto-

nius Niſſer, qui jam benefacta & ſecreta mea bajulantes, perfide eadem fideli ſuo ſilentio concredita, ubique venum exponunt, me & ſcripta mea, quæ non intelligunt, conviciis perfidis ſuggillant, & iis ſibi vendicatis ſe jactant, quorum inveſtigatio & perquiſitio mihi profecto multis ſumptibus, multis laboribus, & multis vigiliis conſtiterunt. Nihil autem me majore admiratione afficit, quàm quod adhuc homines reperiantur, qui ipſos favore complectentes, nihilominus in bonorum numero haberi cupiunt. Nullus tamen dubito, vindictam, quam Deo commendavi, ſuo tempore affuturam.

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Ideò unumquemque certiorem reddo, me maximum hoc ex lignorũ ſuccis nitrum coquendi ſecretum hactenus non divulgaturũ eſſe; aliâs enim prælum ipſum deſcripſiſſem. Quamvis vero aliquis vel prælum etiam videret, & ejus conſtructionem noſſet, ſuccorum tamen purificationem & concentrationem ignoraret, rem effectui daturus non eſſet. Sine meâ igitur inſtitutione opus tam facilè in vulgus emanare nequit. Nam lignorũ expreſſionem hanc, quamvis vilis admodum res eſſe videatur, vini & frumenti operationes tamen longè ſuperare. Nullus autem dubito, quin plures inauditum hoc & maxima utilitate refertum artificium probè conſiderantes cogitaturi ſint, annon etiam ex aliis acquiſitu facilibus ſubjectis probum

nitrum

nitrum acquiri poſſit. Hos, ut erudiam, omittere non poſſum. Vulgaris ſal foſſilis & marinus hujus artis beneficio etiam mutari, & in naturale nitrum converti poteſt, de quo tamen plura tradere neceſſarium non eſt, cum illud, quod de ligno jam protuli, omnino ſufficiat. Ut compendio faciam, Deus ubique locorum omnipotentiam ſuam antè oculos ponit. Ubi lignum non largitur, ibi tamen lapides & oſſa concedit, ex quibus æquè ac ex aliis rebus nitrum ab artificii hujus peritis elici poteſt. Ubi nullus ignis ibi tamen aqua ſe exhibet. Certum autem & indubitatum eſſe ſcio, certa artis experientia ex aquâ marinâ copioſum & bonum nitrum fieri poſſe.

Si porrò aliquis objiciendo diceret: Nitrum ubique locorum toto mundo, ut plurimum vero in lignis & lapidibus reperiri affirmas. Sed regiones haud paucæ occurrunt, quæ lignis & lapidibus carentes paludoſo & uliginoſo ſolo gramen tantum ferente præditæ ſunt. Qua ratione igitur ibi nitrum eſſet? quibus in rebus, aut ubi locorum illud quærendum cenſeres?

Reſpondeo. Superius & in antecedentibus jam confirmavi, larga copia nitrum ex gramine educi poſſe. Sed plane hic non opus eſt, ut beſtiæ pabulo ſuo priventur, & ad nitri confectionem gramen transferatur. Nam caſeus & butyrum, quæ ex gramine oriuntur, facile pluris eſſent, quàm nitrum ex gramine confectum. Deus non tam injuſtè, aut imprudenter cum creaturis agit,

 ſi uni

ſi uni benedictionem ſuam larga manu conceſſit, ut alteri eandem iterum adimat aut eripiat. Minimè gentium. Inexhauſtus ipſi divitiarum eſt theſaurus cujus largiter creaturas ſuas participes facit, nec apud illum valet mundo huic perverſo frequentiſſimum illud axioma: Unius caſus alterius eſt felicitas; ſed vult, ut unicuique affatim neceſſaria ſuppetant, ut quiſque rem faciat, & unum quodque ad perfectionem perveniat. Nullo modo igitur neceſſitas requirit, ut ex pabulo beſtiis adempto nitrum eliciatur, utpote quod ex aliis ſubjectis nec hominibus nec beſtiis ullam utilitatem parientibus ingenti copia exemptu facile eſt. Nam in ejuſmodi regionibus planis, & multa uligine obductis terris, ubi nec montes nec valles nec lapides nec ligna offendes, benigniſſimus Deus, tanquam providus, & prudens paterfamilias incolis proſpexit, de terra quadam multis radicibus & fibris innatis refertâ, Torf Belgæ, nos ceſpites appellabimus, qua ipſi, lignorum loco, ad coquendum & alios neceſſarios uſus utuntur: ita ut lignis quorum inſignis multitudo quotannis ex aliis regionibus apportatur, facile carere poſſent. Continent autem iidem ceſpites ſimilem ſalem Eſſentialem, qualem ligna, ex quibus nitrum eruitur.

Quantum ad lapides attinet, ii in locis ejuſmodi ſe conſpiciendos non exhibent, ſi coctiles excipias, & qui ad conſtruenda ædificia advehuntur. Incolis tamen à Deo donata eſt materia

ſatis

ſatis idonea, ex qua calx cæmentaria paretur, ità ut lapidibus etiam carere ipſis liceat. Omnis generis conchylia, cochlearumque receptacula impetuoſi maris aſſultus acervatim & nonnunquam collium inſtar in littore convehunt, & compellunt, quæ in urbes & pagos avecta incolæ furnis calcariis imponunt, & valido igne in calcem cæmentariam redigunt, ceſpitibus iis utentes, quorum modo mentio facta eſt. Hinc non video, quamvis ejuſmodi regiones lignis & lapidibus deſtituantur, cur minus ſalis petræ in iis inveniri debeat, quam in cæteris, in quibus lapidum & ſignorum vis ingens ſe offert. Imo plus ibidem eſſe aſſero quàm ferè in ulla Europæ regione. Nam ſi ceſpitum & lignorum præcium conferas, hæc pluris, illos minoris mercaberis; hæc etiam in exprimendo difficilius, illi facilius ſuccos ſuos dimittent.

Ex his igitur omnibus demonſtratis abſolutè concludo, nullum in toto mundo exiſtere locum, in quo Salis petræ ingens vis confici non poſſit.

Et ſi dicerem, in toto mundo loca nulla inveniri, in quibus nitri confectio facilior & copioſior futura eſſet, quàm in Germaniæ Inferioris regionibus, Brabantiâ nimirum, Hollandiâ, Zeelandiâ, Flandriâ, Friſiâ, Groningenſi agro, Emdano Comitatu, omnibuſque iis tractibus, qui planitie ſuâ uliginosâ in Mare Germanicum & Balthicum excurrunt, à veritate profecto non abluderem, ſed verè illud teſtarer, ſi opus eſſet.

Ne verò ſcripta mea imperitis nimis peregrina & incognita maneant, & ipſi cerebra ſua meditationibus non neceſſariis, quo pacto nempè hoc fieri poſſit, nimis divexent, omninò neceſſarium eſſe judico coràm unoquoque veritatem apertè confiteri, & dicere: Nitrum ſive Salempetræ, ſi verus ejus uſus cognitus fuerit, jure ac merito pro maximo totius mundi theſauro habendum eſſe, utpote cujus beneficio bona valetudo, honores & divitiæ acquiri poſſunt, quod in tribus ſequentibus partibus ſtabiliemus. Si hoc jam conceditur, & illud etiam concedendum erit, ſubjectum, ſeu materiam illam, ex qua elicitur, non contemnendam, ſed in pretio habendam eſſe. Unde & debita dignitas attribuenda ligno & ceſpitibus, de quibus plurimis argumentis affirmavi, quod, illud quidem in Germania ubique largiſſima copia prodiens, & hi in Germaniæ Inferioris regionibus (ne & hæ cæteris nec quicquam concedant) nitrum exhibere & debeant, & poſſint. Non autem hoc ceſpites ſoli faciunt, ſed etiam ipſorum hactenus abjectiſſimi cineres, qui ubique tanquam inutiles projiciuntur.

NB. In lavando, nulli ſunt uſui, ut lignorum cineres, qui lotricibus lixivia ſuppeditant: atque ideo viliſſimi abjiciuntur. Eſt autem in ipſis vis ingens ſalis cujuſdam, qui per artem inverſus in nitrum abit. Ideo ex ignorantia cum ceſpitum cineribus maxima immaturi Salispetræ abundantia, unde in regiones iſtas maxima utilitas redun-

daret,

daret, imprudenter projecta ſine fructu perit. Sed nemo cogitet, Salem ex cinerum ceſpitum lixivio decoctione paratum mox Salempetræ eſſe, quandoquidem artis ſubtilitas adhuc accedat, neceſſe eſt, antequam talis Sal eo deducatur, ut Salispetræ inſtar ardeat. Cavendum tamen, ne in vulgus ars illa emanet, atque ità tàm nobilis, atque Regionibus tam utilis res æquè citò in inimicorum quam amicorum cognitionem perveniat. Quod ut præveniatur, cautè cum ea agendum, & præcipua opera danda, ne imprudenter emiſſæ ingrati, & indigni juxtà cùm gratis & dignis participes reddantur.

Ex his unicuique integrum erit videre, & colligere, Deum perſonarum, regnorum, & principatuum nullam rationem habere, & uni magis quam alteri de neceſſariis proſpicere. Omnes homines ejus creaturæ ſunt, & omnium ejus bonorum hæredes, ſi modò ipſi velint, contumaciter ſe non opponant, gratiam divinam ſuſque deque non habeant, & petulanter, non abjiciant aut negligant. Qua de re plura in ſequenti de concentratione mineralium parte.

Hoc adhuc addamus oportet, Salem nitri communem eſſe omnibus oris, omnibus tractibus & omnibus regionibus, imò etiam illis locis, in quibus nec ligna nec lapides, nec folia nec gramen, nec terra, nec fundus ullius terræ præſtò eſt, ut propè Groenlandiam, ubi mare ſine fundo eſſe dicitur, balænæ capiuntur, quæ adipe ſuo merca-

tores grandi quæſtu ditant. Si reſiduam carnem & oſſa adhuc magno uſui eſſe ſcirent, & in Salempetræ mutare noſſent, adipi cujus gratia tantum moleſtiæ & laboris ſuſcipitur, longè præferrent. Nam in unius balænæ carnibus, nemini tamen utilibus, 20. 30. 40. 50. imo quandoque centum Salispetræ centenarios reperiri dicerem. Pari ratione aſſelli arefacti inteſtina in Iſlandia, & Norwegia ipſis piſcibus ferè pretio excellere ſi affirmarem, non hallucinarer.

Veritati hoc congruum eſſe, ut ſtabiliam, nihil difficultatis invenio. Annon nitri coctores nitroſam terram in antiquis cæmiteriis inventam, ſi illam habere poſſunt, aliis nitroſis terris anteponunt? Quod inter alios celeberrimus ille metallorum examinator Lazarus Erckerus in libro ſuo de examine metallico facit, & huic terræ primas defert. Nec mirum eſt, quod nuper in Poloniâ Moſcoviam verſus, ubi olim magna prœlia facta, multa hominum millia cæſa, & poſt conflictum mortui propter ingentem numerum, ut eo facilius ſepeliri poſſent, ibidem in montium cavernas profundas conjecti ſunt, ibidem ingens Salispetræ multitudo ex terrâ extrahatur. Si pretium & lucrum ei non ineſſet, illi, quos ejus extractio & coctio occupatos tenet, tantâ pecuniâ inutiles cadaverum cineres non mercarentur.

Sed his omiſſis, ſequens faciat quis experimentum. Imple vas aliquod ſanguine bubulo aut vitulino, & calido loco impone, donec putreſcat, &

quaſi

quaſi in terram vertatur: extrahe lixivium ex hac terra, coque illud tamdiu, donec cuticula appareat; repone in frigido loco, ut Cryſtalli aut lapilli concreſcant, qui nitrum verum erunt.

NB. Alia quidem & compendioſior majori copia ex animalium ſanguine extrahendi Salispetræ eſt via, quæ tamen huc non pertinet. Rationes putemus. Si in magna civitate quotannis decem boum millia præter vitulos, porcos, oves, & capras, mactarentur, & ſanguis tanquam inutilis abjiceretur, (centenarius 5.6.7.8. aut plures nitri libras reddit) quæſtio eſt, quot Salispetræ centenarii periiſſent? Ut clarius oſtendatur, in omnibus animalibus, piſcibus, & avibus multum Salispetræ ineſſe, aliud experimentum accipe. Animal, avis, aut piſcis quicunque calido loco, pluviæ non obnoxio imponatur, ut putreſcat. Ex cadavere vermes oriuntur. Horum collectorum cape libram, plus, vel minus; vitro anguſtum collum habenti impone; hoc chartâ ſolùm obturatum ſoli, non tamen nimis calido expone; paucis diebus vermes in aquam vertentur. Hanc vaſi cupreo, quod ſtanno obductum eſt, infunde, cum albumine ovorum agitato clarifica, ſicut vegetabilium ſucci clarificantur. Succum clarificatum ſenſim decoquendo evapora, donec cuticula tegatur, ut apud vegetabilium ſuccos docuimus. In cella frigida repone, nitrum probum & naturale in lapillos concreſcet, præcipuè verò ſi liquor ille aliquandiu ante in aëre ſteterit.

Ejuſ-

Ejuſdem rei periculum quis facere poterit, cum aliis ex carne aut caſeo ortis vermibus, & experietur, quod nec animalibus hic Salpetræ denegatus ſit. Nihil ergo reperietur, in quo Sal ille Mundi univerſalis non inveniatur. In nonnullis autem Sal citius Salispetræ naturam induit, in aliis jam à Natura Salpetræ factus eſt.

Exemplum hoc eſto. Sal vegetabilium, Animalium, & Mineralium Eſſentialis vel univerſalis ſua natura quidem nitroſus eſt, ſed prius flammam non concipit, quàm ex aëre vitam & flammam attraxerit. Salium autem etiam unus, citius & libentius altero, vitam illam attrahit, prout à Natura formatus eſt. Quò fugaciores, & magis urinoſi ſunt Sales eò citius in nitrum ſe commutant. quò mordaciores, & magis corroſivi, eò difficilius & tardius Salispetræ naturam induunt. Sed quia nitrum Sal eſt utriuſque naturæ particeps urinoſæ nimirum & corroſivæ, & quaſi ex utroque Sale urinoſo nempè & corroſivo compoſitus, ejus ope peritus naturæ Salibus facile ſuccurret, & ex iis faciet, quicquid voluerit. Nec Sal ullus eſt in rerum natura, qui artis adjumento in nitrum mutari nequeat; Inprimis vero illi Sales, qui igne ſublimantur & ejus vi elevati aſcendunt: ut illi qui in urina & excrementis animalium omnium ſunt: Imò animalia, vegetabilia, & mineralia ipſa facile admodum Nitri naturam arripiunt. Hic primus ſalium gradus eſto. Alter gradus eſt Salium, qui aliquantò fixiores ſunt, ut artis

filii

filii nuncupant, & in igne à vegetabilibus, animalibus, & mineralibus relinquuntur. Hi difficilius in Nitri naturam tranſeunt; Omnium difficillimè illi, qui in tertio gradu ſunt, ut Sal Communis, marinus, montanus ſeu foſſilis, alumen, & vitriolum. Nam hos ars etiam quidem eo deducit, ut in verum Nitrum abeant, ſed difficilius, cum longiore ad eos mutandos tempore indigent, quam ad ſupra nominatos Sales fugaces, volatiles, & urinoſos. Quare nemo ea opinione eſto, quando in ſcriptis meis dico, quod hic aut iſte Sal in Salempetræ converti queat, quamprimum lixivio extractus, aut ſaltem ignis calcinatione elicitus fuerit. Quod Salpetræ verus & ardens futurus ſit: Tempus adhuc requiritur, quo ex aëre vitam & animam alliciat, & ardens evadat.

Lippis & tonſoribus notum, maximam Salispetræ antehac confecti partem ex lixivio terræ ex ovilibus, aliarumque beſtiarum ſtabulis antiquis petitæ excoctam fuiſſe. Quare ex antiquis jumentorum, pecudum, & pecorum ſtabulis, & non etiam novis? Ideò quia non ſolum vetera ſtabula longo temporis progreſſu plus ex excrementis & urina ſalis imbibunt eâque de causâ plus Salispetræ conferre poſſunt. Sed etiam ſales ipſi, excrementorum ex animalibus, quod potiſſimum eſt, longo temporis progreſſu ex aëre animam ſuam acceperunt, quâ recentes nondum imbuti ſunt. Nam coquat quis, torreat, & vexet ſtercora & urinam animalium, ut voluerit, nitrum

nunquam

nunquam evadent, niſi ex aëre vitam ſuám hauſerint. Capiat quis ſalispetræ optimam portionem, terræ miſceat, & per retortam ſpiritus diſtilletur, tàm acris & corrodens aqua in excipulum tranſibit, ut etiam metalla, lapides, & omnia alia corpora Mercurialia vel duriſſima ſolutura ſit, cum ipſe Salpetræ anteà non corroſivus fuerit, ſed ignis operatione demum tantam corroſionem acquiſiverit. Vice verſa capiatur Sal nitri optimus, & in crùcibulo ardentibus prunis, aut aliis ejuſmodi rebus eum inflammantibus calcinetur, hac operatione in ſalem adeo igneum, & fixum, ſed tamen non corroſivum mutabitur, ut omnia pinguia olea, adipes, & ſulphurea corpora ſoluturus ſit, quod prior ſpiritus corroſivus non faciet. Nam quæ ab hoc fixo & urinoſo ſale ſolventur, ea prior ſpiritus acidus intacta relinquet, ac vice verſa ea ſolvet, quæ à fixo ſale ſolvi non poterunt, cum tamen uterque ex uno & eodem ſubjecto ignis adjumento eliciantur. Unde facilis conjectura ſumi poteſt, Salem hunc Hermaphroditicum utriuſque naturæ participem eſſe, cum utramque naturam induat. Axioma enim Philoſophicum teſtatur, ex eo aliquid originem trahere, in quod mutari, & reſolvi poſſit.

Quando autem Spiritum acidum, qui in excipulum tranſivit, iterum fixo Sali illi affundo, uterque natura & proprietate ſua ſpoliatur; ille enim acrimoniam & aciditatem ſuám perdit, & hic igneam ſuam naturam deponit,

ita

ita ut uterque iterum fiat Sal hermaphroditicus, non tamen è veſtigiò, ſed neceſſe eſt, ut aliquandiu unà in aëre collocati vitam & naturam ardentem, qua ignis ipſos undavit, recipiant. Accidit tamen hoc celerius, quam in aliis Subjectis contrariis, quia hæc duo contraria antehac unus Salpetræ fuerunt. Illa enim, cum nondum nitrum fuerint, ſed demum futura ſint, longiore temporis intervallo in aëre commorentur neceſſe eſt. Hæc illis indicamus, qui ſales ſine aëris operâ animari poſſe forſan opinarentur.

Ut autem, Sales vitam ex aere ſine ullo ponderis augmento, & non aliunde ſibi adſciſcere, perfectè demonſtrarem, exemplum ſequens propono. Sumatur libra mellis aut ſacchari, & in decem libris aquæ ſolvatur, aquaque hæc per aliquot ſeptimanas calido aëri exponatur, mel aut ſaccharum huic aquæ tanquam magnes erit, & ſine ulla ad pondus acceſſione ex aëre vitam attrahens eam in acidũ acetum mutabit. Hac ratione aqua mellis, ſacchari, frumenti aut alterius alicujus ſucci vegetabilis additione, per latentis, & attrahentis eſſentialis ſalis operationem unà in acetum optimũ abibit. Poſſet quis hic cogitare, quod mel, aut pomorum & frumenti ſuccus occultam aciditatem penes ſe habuerit, quæ calidi aeris ambientis adjumento ſe manifeſtaverit, & ortum ex aëre non traxerit. Contrarium oſtendo, ut ſequitur. Capiatur mellis, ſacchari aut alius ſucci vegetabilis libra, & per retortam in excipulum

pella-

pellatur: decem aut duodecim inſipidæ aquæ lotones, & totidem acidæ aquæ exibunt: reliquiæ cineres ſunt mortui nihil in ſe habentes. Acetum & phlegma quæ aſcenderunt, libram liquoris non dabunt, ipſumque acetum aciditate ſua decem illis aquæ libris in acetum converſis vix reſpondebunt.

Quod demonſtrat, nullam amplius aciditatem in melle fuiſſe, quam quæ diſtillationis adjumento evocata fuit, quandoquidem reſiduus cinis nullum ſaporem retinuit. Eſto autem, quod aciditas, quæ ex retortâ in receptaculum vi ignis expulſa eſt, aquæ fortis, quæ tamen vix tam acida eſt, quam acetum, acrimoniam habeat, ægrè tamen libras aquæ decem tàm acidas redderet, ut cum libris iſtis decem aceti per ſal eſſentiale & aërem confecti, comparari poſſit. Manifeſtum igitur eſt, magneticâ virtute aciditatem tanquam vitam ex aëre à melle attrahi.

Quemadmodum autem hic Sal Vegetabilium Eſſentialis magnes fuit aquæ mortuæ, in ſpiritu acetoſo ex aëre eliciendo:

Hic obiter notandum Spiritum ſive animam mundi univerſalem multis ac variis modis ex aëre attrahi poſſe. In propoſito aceti exemplo ſpiritus evocatur, qui ad liquores vegetabiles in acetum convertendos aptus eſt. In Hermaphroditicis Salibus univerſalis Spiritus nitroſus, in vino, cereviſia & hydromello ardens evadit. Hæc omnia mediante aëre fiunt, ſine quo nullum

vinum

vinum aut cereviſia fervere poteſt, & ſine fermentatione impoſſibile eſt, ut Spiritus ardens generari poſſit, qui deinde facili converſione in acetum, hoc vero in nitrum, & hoc iterum in ſpiritum ardentem vel acetum mutatur. Omnis enim vita unius & ejuſdem eſt originis, & ex una in aliam Naturam & indolem artis beneficio tranſponi poteſt.

Ità etiam in Salispetræ generatione idem intelligendum eſt. Omnes Vegetabilium, Animalium & Mineralium Sales mortui ſunt, antequam magnetico more vitam ex aëre ſibi adſciſcant, & in Salempetræ fiant. Nam ex omnibus Salibus nullus vivus jure appellabitur, quam unus Salnitri à Philoſophis vigilans Draco appellatus, qui ab initio etiam mortuus fuit, ſed ex aëre vitam ſibi acquiſivit. Ex quibus omnibus clariſſimè patet; Omnium rerum vitam ex aëre oriri; Ea quæ in aërem non veniunt, vita carere; & ea quæ jam vitam acceperunt, ſubtracto aëre ſuffocari, & emori. Hinc omnium rerum mors exiſtit, & ex aëris, in quo omnium rerum vita, quocunque etiam modo illud fiat, conſiſtit, ſuppreſſione aut ademptione oritur, ut propoſitum aceti exemplum docet. Nam ſi mel vel ſaccharum aquâ tenue non fuiſſet factum, nunquam illa in acetum mutatio proceſſiſſet. Sicuti etiam uvæ, poma, pira, hordeum, avena, triticum, ſi aqua non humectentur, ſicca manentia nunquam aceti naturam & proprietatem conſequuntur, id

propterea quod aër vitam ſuam ſicco, & concluſo corpori infundere non poteſt. Notum hoc iis, quos copia aceti conficiendi diſtrictos tenet. Ea de cauſa dolia æſtivo tempore Soli exponunt, & hybernis menſibus in hypocauſtis calidis apud fornaces cuſtodiunt, ac à fronte & tergo ut & in fundo foraminibus conficiendis aëri aditum & ingreſſum patefaciunt, ut celeriore operatione vini, cereviſiæ, & hydro mellis in acetum mutationem promoveant. Non ignorant etiam hoc, quod acetum forte diu concluſum, & aëre privatum corrumpatur, & emoriatur. Quod cum æquè de aliis ſubjectis, quam hîc de aceto & Sale petræ, intelligendum ſit, hoc affirmare poſſumus, quò plus aëris calidi ad vinum aut cereviſiam accedat, eò citius eadem in acetum tranſitura eſſe: Et, quò plus aëris calidi ſales hauriant, eò celerius eos ex codem vitam hauſturos, & Salis nitri naturam ac indolem ſuſcepturos eſſe. Hæc cauſa eſt, cur Salis nitri coctores terram ſalepetræ liberatam nonnunquam fodiendo invertant, & aqua perfundant, ut eò commodius aër operatione ſuâ terram iſtam penetrare, & nitrum infundere queat. Lente tamen negotium hoc procedit, comparandum cum illo, quo quis uvas, aut poma parum premeret, & vinacea expreſſa aut reliquias iſtas pomorum aëri exponeret, aut frumentum craſſo modo ſectum & aquâ madefactum ſeponeret, ut aceti natura & viribus imbueretur. Futurum quidem eſſet, ſed multo tardius, quam ſi

vinum,

vinum, cereviſia aut alii potus ſine furfuribus aut putaminibus ſeponerentur. Idem in Saliſpetræ confectione animadvertendum. Quo magis aër ſales tangit, eò maturius in vivum nitrum eos reducet. Hoc videre eſt in parietibus veteribus, qui in locis humidis conſtructi efflorefcentem calcem vivam in Salempetræ converti ſentiunt. In murorum interno corpore, quò aëri penetrare non licet, idem fieri non videmus. Hinc certo ſcio, non uvarum vinaceos, nec frumenti furfures, ſed tenuem ſuccum, aut liquorem ex iis vel expreſſum, vel aquâ extractum aceſcere; ac pari ratione video, non cineres non calcem vivam, nec etiam ſimilia calcinata, ſed tantum Salem in iis occultum nitrum evadere. Cum igitur calcinata quævis aquâ humectata, & aëri calido expoſita longo tempore vitam extrahant, & Salpetræ fiant, cineres verò & calx, terræ mortuæ inſtar, nunquam ſalem nitri fundant, ſed terra mortua maneant. Cum etiam talis terra ad ſalempetræ generandum & conficiendum nihil planè conferat, ſed potius ubique impedimento ſit, quò minus aër ſali ſe aſſociet; Terram, corpus, putamen, & inutilem veſtem ſeparo, ſalem retineo, eum per aërem inverto, & in ſalem nitri converto, non tamen ſine aquæ additione, in qua ſal ſolvitur, & vitæ ex aëre extrahendæ magis idoneus redditur; nam aliâs, ſi ſiccus ſal maneret, admodum tardè hæc mutatio ad finem deſideratum perduceretur.

Si igitur per ignem præparata ſalia aqua ſolvantur, ac aqua cum eo per peculiaria inſtrumenta in agitatione perpetua conſervetur, & calor ſimul adjungatur, ita ut ne minimæ ſalium atomi reperiantur, quæ indeſinentem aëris calidi penetrationem non ſentiant, & non animentur; eò quod calidus aër & motus in omnibus locis ſalia attingant & vivificent; quatuor ſeptimanis hæc operatio plus efficit, quàm ſi ſal in terra coacervata adhuc ſub dio jaceret, ubi unius anni ſpatio ad mutationem tantam pervenire non poſſet. Sed perpetua agitatio & calefactio conſiſtit in ligneo quodam inſtrumento, quod indeſinenti motu ſalſam aquam propriis viribus calefacit, ita ut ſingulis ſeptimanis mutatio accreſcens evidenter animadverti & ſentiri queat. Magni illud non conſtat: doliorum autem aqua ſalſa repletorum tot ad ſalempetræ conficiendum quis parare poterit, Unus homo centum aut plures regere, & in continuo calore & motu conſervare poteſt, adeò ut tale opus in occulto ſervari poſſit, quamdiu alicui libuerit. Quomodo Sali antequam aqua ſolutus doliis circulatoriis infundatur, ignis miniſterio facultas magnetica, & attrahens concilianda & dolia paranda ſint, ſcripto commodè indicari non poteſt, ſed oportet, ut æquè operationes manuales ad Salem magnetica facultate donandum requiſiti quam inſtrumenta ad eum in ſalempetræ mutandum neceſſaria intus cum omnibus appendicibus probè inſpiciantur. Omnia facile

quis

quis comprehenderit, & imitatus fuerit: imò longè facilius, quam craſſum & magnum opus, quocunque ſubjecto etiam occiſtiatur. Operatio eſt non ſordida, ſed pura, nulla lixiviorum confectione, nulla decoctione, nullâ evaporatione indigens, ſeipſam ſine impedimento aut operis retardatione perficiens & Salem in Nitrum coagulans. Inventio certè pulcherrima & utiliſſima, ex qua plures aliæ emanare poſſunt

Sic declaravimus & fidem fecimus, quod anima mundi mortuos ſales vivificans & in Salem nitri convertens, nec pondus nec augmentum ipſis adjiciat, & tanta tamen efficaciâ, & vi polleat, ut omnes in vitam reducat, Quæ vita nihil aliud eſt, quàm vera avicula Hermetis, quæ facile pro nobiliſſima Dei creatura, ſi animam humanam excipias, ex omnibus creaturis habenda, arte adjuvante, ex Salepetræ iterum extrahi poteſt. Ut apertius & clarius rem pronunciem, Sales, inquam, ignis & artis adminiculo prius magneticam, & attractivam potentiam & facultatem nanciſcantur oportet, quàm ex aëre vitam hauriant. Poſtquam autem univerſalis Mundi vita à Salibus capta, & quaſi vincta eſt, ac mortuos Sales in vivum nitrum mutavit, inviſibilis tamen in iſto Salepetræ latitat, & vires ſuas propter craſſum Salis corpus parum aut vix exerere poteſt.

NB. Siquis hanc vitam iterum Nitro eripere, in corpus redigere, & viſibile reddere ſciet, ha-

bebit rem tàm admirabilem, ut ſimile in rerum natura vix inventum iri credam. Nam tàm ſuavis &. ruber primo aſpectu liquor offenditur, ut unica guttula mille partes aquæ aureo colore tingat: quem hactenus ad conſtantem medicinam nondum deduxi, ſed eo, uti eſt, hactenus in medicina utor. Mirabilia in ipſo comperio: Sed hæc avicula, quantum quidem mihi notum eſt, nullo alio ſubjecto ex nitro iterum elici poteſt, quàm reti ex pellibus ovillis artificioſe parato.

In magnorum ſecretorum, & myſteriorum numero tantam rem pono, & opus illud eſſe arbitror, quod ſcientiæ cupidus Jaſon ab artis Chymicæ peritiſſima Medea adjutus Draconi eripuit, & aureum vellus nuncupavit. Sed ne quis ſibi perſuadeat, me hic loqui de ejuſmodi tinctura, quæ ex nitro fixo æquè ac ex ſale tartari per Spiritum vini extrahitur. Vera non eſt tinctura, ſed Spiritus vini per ſalem fixum alteratus, & tinctus. Sed liquor ille meus, vera, occulta & intima Nitri eſt tinctura, virtus, & vita, naturæ quidem aureæ, ſed planè fugax, & volatilis, cujus unica gutta imperialem totum ità deaurat, ut auro ducatorum obductus eſſe videatur. Tinctura hæc à nullo menſtruo contrario, ſive illud Corroſivum, ſive Urinoſum ſit, imò nec ab ipſa aqua forti, & liquore Salis Tartari, cui ſimilis vix in rerum natura reperitur, alterari, & mutari poteſt.

Nam ſi ex vegetabilibus, ut cocco, croco aliiſq; ſimilibus

ſimilibus color pulcherrimus Spiritus Vini adjumento educeretur & aquæ fortis unica tantum gutta inſtillaretur, mox color mutatus palleſceret,& ſi plus adderetur,penitus evaneſceret. Aut ſi liquoris Salis Tartari gutta immitteretur, mutatione confeſtim recepta furvus evaderet. Hæc vera tinctura Nitri,ſive anima Mundi ab utroque contrariorum nullam mutationem patitur. Et ſi etiam metallica tinctura haberetur, vel ex ipſo auro extracta, in hoc examine tamen non ſtaret, ſed aut à ſale acido aut fixo præcipitaretur, & à menſtruo ſecederet. Noſtra verò in omni examine conſtans utrique contrario reſiſtit.

Repeto itaque quod ſæpius dixi, plus in Nitro reconditum eſſe, quàm multa hominum millia ſibi perſuadere poſſint. Sed quia res adeò vilis & abjecta, nemo aliquid boni in ipſa abſconditum latitare putat. At legantur Philoſophorum præcipui, in quibus invenietur, ipſos ænigmaticè Nitrum oſtendere, atque Draconem appellare, qui à fratre aut ſorore ſua occidendus ſit, antequam theſaurum ſuum dimittat. Sed hæc ſufficiant.

Quæ hactenus dicta ſunt, eum in finem protuli, ut proximus de iis certior redderetur. Omnes Philoſophorum libri hac re pleni ſunt: Inter eos excellunt Hermes & Baſilius qui clariſſimè ſcripſerunt. Paracelſus apertè dicit: Alchimia in nitro invenit. Novus Philoſophus Nuiſement, de Sale & Spiritu mundi tractatum profectò le-

ctu digniſſimum edidit, quem Lectori harum rerum ſtudioſo commendo. Itaque quod toties iteravi, hîc iterum inculco, Salempetræ maximè admirandum, excellentiſſimum, & potentiſſimum totius mundi Subjectum eſſe, cujus admiranda perveſtigari ſatis nequeant. Quoniam verò ex fimo, ex rebus putridis ortum ſuum capit, ſtultorum turba maxima eum deſpicatui ducit: parvus autem Philoſophorum & ſapientum cœtus, utpote quos tàm admirandæ virtutes non latent, maximi æſtimat, & in ſummo pretio habet. Plura de ejus virtutibus & efficacia Benignus Lector in ſequentibus tribus partibus dilucidè ſcripta inveniet.

O bonorum omnium origo, & theſaure theſaurorum omnium, largire, ut hunc terreſtrem, & caducum theſaurum rectè & benè collocemus, & eum in finem inveſtigemus, & uſurpemus, ut te ſummum bonum non amittamus, ſed potius inveniamus, & clementem ac miſericordem patrem in æternum conſervemus.

Admonitio auctarii loco appoſita.

In primo primæ hujus partis capite de rerum Concentratione plena deſcriptione manifeſtavi, quâ ratione nova vina, & muſta condenſationis artificioſæ adjumento in anguſtum cogenda ſint, ut in loca remotiora, in quibus nullum vinum naſcitur, deferri, & ibidem magno

lucro

lucro & utilitate vendi queant. Oblitus tamen ſum indicium facere, quânam ratione ſuccis vinoſis ſapor, quem in concentratione contraxerunt, quando iterum aquâ ſolvuntur in fermentatione penitus adimendus ſit, ut vina ex iis confecta ſaporem perverſum & ingratum non retineant. Artificium eſt, ſine quo ex hac vini conficiendi arte nemo ſe facile expediverit. Certiorem autem unumquemque reddo medium præcipitationis ad hoc opus neceſſarium nihil aliud eſſe, quam Sulphur vulgare optimè purificatum, cujus portio aliqua pro ſuccorum indole & proprietate & natura, iis adjungenda, quæ cum vino fervere debet, ut ità omnes ſordes, & omnem alienum odorem ac ſaporem in fermentatione ad ſe tractos præcipitando ad fundum deturbet. Quo facto vina ſuavia, clara, fiunt, & bonum ſaporem acquirunt. Porro ſciendum eſt, cum ex ejuſmodi vinis ſicuti ex aliis etiam multæ ſordes, & fæces ſe ipſas ſegregent, & in fundo conſideant, qua ratione & illæ ad uſum aliquem traducendæ ſint, ut nulla earum jactura fiat, ſed lucrum eò majus ſit. Lucrum ex iis conſequendi diverſæ ſunt viæ, ut nempe reſiduum ex iis vinum ſaccis exprimatur, aut ipſæ in acetum mutentur, vel ſpiritus inde diſtilletur, & relicta craſſa materies, aqua coquatur, tartarus in eaſolvatur, & ſaccis exprimatur, ut in tartarum concreſcat. Sed de hac expreſſione peculiarem libellum Norimbergæ edendum curavi, ita ut pluri-

bus de eadem hic mentionem facere neutiquam opus ſit. Eo ad uſus ſuos Lector benignus uti poterit, utpote in quo dictam expreſſionem vini & tartari, acetique confectionem luculenter & cum omnibus circumſtantiis deſcriptas inveniet, ac proculdubio, ſi mentem meam aſſequutus rectè rem aggreſſus fuerit, rebus ſuis optimè conſulet.

NB. Si verò quis iſtarum ſordium tartaros in Salempetræ convertendi artem, (fieri hoc brevi admodum tempore poteſt) calluerit, duplo plus lucri ſentiet, quàm ſi tartarum ex iis conficeret, cum fæces illas magno ſuo commodo ſubjicere prælo opus non habeat. Opus tale, quàm vile etiam videri queat, in iis tamen locis in quibus magna fæcium combuſtarum vis abjicitur, quotannis alicui aliquot mille florenorum lucrum afferre poſſet. Nam in locis Mœno, Nicro, & Rheno fluminibus aſſitis profectò quovis anno multa centenariorum millia tartari cum fæcibus combuſtis per negligentiam & ignorantiam projiciuntur, quoniam paucis innotuit, quod & quomodo tartarus ex iis eliciendus & evocandus ſit.

In ſecundo hujus primæ partis capite, ubi de frumenti concentratione agitur, mentio fit corticum, & furfurum reliquiarum nempe, quæ poſt ſuccos extractos remanent, quod ferè ad tantam, imò majorem utilitatem reduci queant, ut frumenti impenſas compenſent. Notum autem eſt,

reliquias

reliquias illas quæ poſt cerevisiæ coctio nemſuperſunt, beſtiis alendis impendi. Si jam frumenti medimnus dimidio aut etiam toto imperiali emeretur, reliquiæ illæ vix octavâ imperialis parte eſtimandæ eſſent. Ægrè enim ex medimno ejusmodi reliquiarum in alimentum converſæ duæ carnis libræ beſtiis accreſcerent, quarum pretium ad octavam Imperialis partem non accederent. Sed ſi reliquiæ illæ præſcripto lignum in ſuccos redigendi modo tractarentur, facile tantum aut plus Salis petræ redderent, quantum frumenti pretium ab initio fuit. Unde pio & ſedulo patri familiâs res opulenta domi, ut etiam egeno benefacturus ſit, ſe offeret.

In primæ partis capite tertio de ligni concentratione expreſſionis ſuccorum ex ligno, & nitri confectionis tantum fit mentio. Sed quoniam non ubique ligni tanta eſt copia, ut omiſſo uſu magis neceſſario ad Saliſpetræ confectionem adhiberi poſſit, fieri tamen poteſt, ut ingens Salis nitri vis ex arborum foliis, & gramine ſub arboribus naſcente conficiatur, & non opus ſit, ut arbores excidantur, ſi cui illud facere mens non eſſet. Accedit, quod in iis etiam locis, ubi parum ligni, & multum frumenti occurrit, etiam ipſum ſtramen ad Salempetræ conficiendum aptum ſit. Adeò nullus locus invenitur ubi ad nitrum conficiendum materia non invenitur

Ideo non poſſum, quin omnes pios Patres familias, ſive in civitatibus, ſive in pagis domicilia

ſua

ſua habeant, facile quoddam artificium doceam, cujus adminiculo ſine ullo labore & ſumptu liberis ſuis theſaurum, quem fures ipſis nunquam eripient, colligere queant.

Cum enim in libello hoc divitibus & pauperibus, ſummis & imis tria magni ponderis artificia, quibus vinum, frumentum & ligna ad majorem utilitatem revocari poſſunt, revelaverim: iis tamen, qui vino, frumento & lignis carent, nihil adjumenti iiſdem attulerim; operæ pretium duxi, ne & prætereantur illi ipſi, qui nihil habent, & nihil ominus uxoribus & liberis ſuis honeſta educatione conſulere cupiunt, ipſis ſecretam adhuc artem ſubminiſtrare, qua commodum ſuum quærere valeant. Ad Dei honorem, & omnium noſtrum ſalutem quin res evaſura ſit, ſpero.

Primo quiſque Paterfamiliâs qui in juventute ſua familiæ adminiſtrandæ initium facit, primo Deum ante oculos habebit, ac uxorem, liberos, reliquamque familiam, ſi habet, ut Verbum Divinum audiant, precibus frequentibus auxilium Divinum implorent, proximum diligant, ſumma diligentia urgebit, & hortabitur. Deinde honeſtum & debitum, ea quæ à parentibus, aut ab uxore obvenerunt bene & utiliter collocandi propoſitum ſuſcipiat, ut bona oblata non diminuantur, ſed quotannis augeantur, caſu neceſſitatis profutura, ſi in morbum Dei permiſſu incideret, aut liberis pluribus oneraretur. Porrò

manibus

manibus in ſinum repoſitis otioſus non deſidebit, ſed mane & ſerò exertas illas operi & labori admovebit, ac benedictionem Divinam præſtolabitur. Nec nocebit, ut doctrinam & admonitionem meam de rei familiaris adminiſtratione, quam liberis meis admonitionis loco præſcripſi, diligenti lectione pervolvat & in familia adminiſtranda eam ſequatur.

Praetereà illis, ad quos hæreditate à parentibus nihil derivatum nec matrimonio aliquid devolutum eſt, medium oſtendam, quo pacto ſine labore & moleſtia liberis ſuis theſaurum colligant.

Primò quis habitationis ſuæ lateri mediam inter ſeptentrionem & orientem cœli plagam intuenti, aut alii commodiori pergulam aut tabulatum projectum adjungendum curabit, ſolem quidem, & aërem admittens, ſed pluviam excludens. Sub ea foveam profundam effodiet, effoſſaque terra pergulam circundabit & muniet, ut exaltata pluviam undique arceat. Singulis autem diebus quovis anno & quandocunque commodum fuerit, ſequentes materias illam foveam comportabit & conjiciet, donec neceſſitate poſtulante omnes iterum effodiat, & videat, quantum theſaurum etiam dormiens conſequutus ſit. Materiæ autem illæ ſunt, omnes acres & amaræ herbæ, in aviis locis, fruticibus & viis creſcentes, quibus beſtiæ non veſcuntur, ut ſunt Eſula, cicuta, juſquiamum, abſynthium, fumaria, craſſi cau-

les

les Tabaci, qui abjiciuntur in locis iis ubi ſeritur, duri braſſicarum caules, quibus beſtiæ non veſcuntur, omnia itidem ea, quæ in lintribus eædem relinquunt; Abietum coni, ſi præſto ſint; Arborum folia autumnali tempore colligenda; Fimus columbarum, & gallinarum, Avium & Gallinarum plumæ, & pennæ; omnes cineres, ex quibus fœminæ lixivia faciunt aliique lixiviis faciendis inutiles, ut & illi ex quibus lixivium jam extractum eſt: Fuligo ex fumariis, & caminis collecta, porcorum pili, boum & vaccarum cornua, & oſſa quibus canes non veſcuntur; Has materias omnes in foveam illam conjiciet, & quò citius eam implere poſſit, ex vicinia tantum, quantum poterit, colliget, & in eandem congerat, ut ità unius aut duorum annorum decurſu magnam iiſdem rebus omnibus foveam repleat. Interea temporis urinam in ædibus collectam in foveam infundet, & ut ſatis habeat, ex vicinia quoque quantum poterit, congregabit, ut res in foveam conjectas in perpetua humiditate conſervet, & eo celerius earundem putrefactionem promoveat. In urinæ defectu aqua communis accipienda; Si aqua marina aut alia ſalſa haberi poterit, melius erit. Muria quoque ex piſcium liquamine, Salſugo item aut aqua ſalſa carnibus macerandis deſtinata multum ad hunc uſum conferent; ut & boum, vitulorum, & ovium ſanguis apud Laniones comparatu facilis. Omnes hæ res unà putreſcentes

tes Saliſpetræ naturam & proprietatem induunt.

Si in foveâ repletâ omnes iſtæ materiæ probè putruerint, ab affundendo ceſſandum, & omnia tamdiu relinquenda, donec ſiccentur. Si jam pecunia opus erit, Saliſpetræ coctorem quærat, & cum ipſo de Saliſpetræ per lixivia educendi, decoquendi, & vendendi pretio conveniat. Hoc facto reſiduam terram in foveam iterum conjiciat, cum reſiduo lixivio in nitrum nondum concreto, ibi per annum unum aut alterum relinquens, & nonnunquam urina, aut ſi hæc deeſt, aqua communi humectans. Terra hæc iterum Salem nitri, ſed dimidiâ parte minus, quàm primâ vice dabit.

NB. Si pecunia non eguerit, materiam relinquat, & quoties exſiccata fuerit, de novo humiditate conſueta imbuat, ut nitrum magis ac magis accreſcat, & augeatur. Hoc pacto clandeſtinum theſaurum congregabit, & quî eum conſequutus ſit, neſciet. Si ipſe eo non indiguerit, liberi eum invenient: Fures & milites non auferent. Si una fovea repleta eſt, altera addi poteſt, ut nihil omninò materiarum illarum aliâs abjectiſſimarum, in hoc caſu tamen utiliſſimarum pereat. Jam in unoquoque pago ſi unus tantum eſſet, qui hoc labore exercendo diſtineretur, in parva regione multa centenariorum Saliſpetræ millia quaſi reperirentur, & ejuſdem uſui inſervientes, nunquam hujus Salis penuriam admitterent. Nitro autem præſente aurum & argentum haud

haud procul abſunt. Quiſque hoc notet & ſibi commendatum habeat. Aliquando ad frugem & ſapientiam tandem redituri homines videbunt, quanta cœcitate occœcati fuerint.

Gratias Deo age, & proximo tuo opitulare. Deus mihi largitus eſt, ego tibi largior: proximo tu etiam aliquantum largire: Omnibus nobis benè erit.

Unicus & Æternus Opitulator omnium Opitulatorum nobis omnibus adjumento ſit, ut tandem ex hac miſeriarum valle, in quâ nihil perfecti, nihil abſoluti invenitur, in eum locum perveniamus, ubi omnia vere bona & abſolute perfecta ſunt, & nobis nullo auxilio alio opus erit AMEN.

FINIS.

Aφ1 1455793